

Eleg. VII. v. 1. *hunc cecinere diem — hunc fore.* Heynius ut vulgatam scripturam ab omni suspitione defenderet, Parcarum ait hoc esse vaticinium ideoque assurgere orationem. Hanc rationem secutus Hushkius effert locutionis audaciam, qua diei natali res gestae hominis eo die nati tribuantur, eamque aliorum poetarum locis munire conatur: quorum locorum tamen nullus est, quo id, quod ipse vult, efficiatur. Ego, nisi Messalae idem, quod Timoleonti, contigit, ut ipso die natali hostes funderet, non possum, quin inepte locutum poetam iudicem: nec, si ita esset, dubitarem scripturae vulgatae coniecturam Heynii *hoc cecinere die — hoc fore* longe anteponere. Nam pro actis gestisve rebus dies vel annus poni nequit, nisi is, quo ipso hae res actae gestaevae sunt: de qua re conf. Böttich. Lex. Tacit. proleg. p. 99. Veruntamen etsi nusquam relatum legimus, Messalam ipso die natali victoriam ex Aquitanis reportasse, tamen non est, cur huius loci testimonio fides detrahatur: nam si uno die tota provincia pacata non est, quid impediit, quo minus uno die unoque proelio summa rerum transigeretur? Recte igitur Dissenius rem ita mihi videtur expedisse, ut Messalam diceret natali quidem die acerrimo proelio ad Atacem vicisse: postmodum vero singulos deinceps aggressum Aquitaniae populos debellasse. Cum iis, quae sequuntur, *victus Atax* conferas licet Horat. C. II. 9, 22.: *Medumque flumen gentibus additum victis.* — v. 9. *Non sine me est tibi partus honos.* Poeta se quoque his rebus interfuisse ait. Video. Ac si quis dixerit *non sine me navigas, iter facis, vivis, in toro iaces*, planum erit, quid dicat. at verba *non sine me est tibi honos partus* etiam ita accipi possunt, ut quis dicere videatur, *sua ope, praesidio, consilio* factum esse, ut alter gloriam sive laudem alicuius rei adeptus sit (conf. Bosii annot. ad Cornel. Nepot. v. Thrasyb. 1.). Sed esto. verecundius certe Horatius, qui Epod. I. 1. 16: *comes*, inquit, minore sum futurus in metu. — v. 12. *caerula lympa Liger.* Pro *caerula* Gruppius coniicit *garrula*, quod *tacitis* opponatur. Belle istuc quidem. verum *garrulus* fontibus, quod ego sciam, et rivis potius, quam annibus tribuitur. Adde quod Ligeris unda Lucano (Phars. I. 439.) *placida* vocatur. — v. 13. *An te Cydne canam tacitis qui leniter undis caeruleus placidis per vada serpis aquis.* Ita Lachmannus et Dissenius dederunt ex libris. Vulgata *caeruleis placidis* est de coniectura Staffii. Heynius in annotatt. tuctur scripturam *caeruleus*: quippe in delectu enim attributorum, quibus nomina fluviorum ornarentur, alios quoque poetas minus fuisse diligentes. Equidem persuadere mihi non possum, poetas doctos quidem et politos in electione epithetorum tam licenter et perverse egisse, ut quo artificio vim et naturam rei alicuius illustratam yellent, hoc ipso eam obscurarent. Quod si interdum uni flumini, ut Ladoni apud Ovidium, attribuuntur, quae inter se contraria sunt, non increpanda continuo est poetarum inconstantia aut licentia. Ipsa enim natura fluminum varia est et mutabilis eorumque cursus modo placidior modo rapidior: ad quam varietatem plurimum valent anni tempora, alvei spatia et

proclivitates, soli ingenium (conf. Orell. ad Horat. Epod. C. 13, 13.). Imprimis torrentes qui dicuntur notum est quam variant faciem, ut in variatis epithetis diligentia potius, quam temeritas poetarum cernatur. Ignotis autem fluminibus satis erat epitheton adiecisse, quod in naturam aquae caderet. Ad designandum vero nobilioris alicuius fluvii ingenium epitheton deligere laudi eius pervulgatae contrarium nonne hominis foret prope delirantis? Itaque cum Cydnus amnis aquarum liquore perlucido insignis esset (Arr. de exped. Alex. II. 4. Curt. I. III. c. 4.), epitheton *caeruleus* cum aliis, tum viro doctissimo, qui in explicanda huius vocis significatione diligentissime versatus est, Jacobo (in quaestt. epic. p. 162.) parum probatum est. Ea huius epitheti offensione commotus ego aliquando conieceram: An te Cydne canam placidis qui leniter undis Caeruleis tacitus per vada serpis aquis: *caeruleis aquis* dictum volui pro *ad caeruleas* aquas i. e. mare vel sinum Issicum, in quem Cydnus emitteretur. At postea monitus, Helvetios lacus et fluvios plerosque sereno coelo cum summa esset aquarum tranquillitas, caeruleos esse iisdemque nihil liquidius, cognovi, posse Cydnum quoque caeruleum ita vocari, ut nihil liquori eius officeretur. Quam rem Claudiani locus a Vossio prolatus (l. 49, 5, 28.) confirmat, ubi *lacus caeruleus vitreis idem lucidus usque vadis* dicitur. Sed restat aliud, quod scrupulum iniiciat. qua de causa coniecerunt Statius *caeruleis placidis*, Vossius *caeruleus placidae — aquae*, et hic quidem docet, placidam aquam τόπον esse λιμνάζοντα Strabonis. De qua re consentiens Wunderlichius servata scriptura *placidis aquis* explicat *ad placidas aquas* i. e. ad lacum, in quem Cydnus effunditur. Idem sentiunt, qui *caeruleis — aquis* scribi maluerunt, Statius et Heynius: quam amphiboliam constructionis nescio an iure reprehenderit Dissenius. Merito autem ille damnat Huschkii coniecturam *caeruleae placidis*, qua oratio non ornetur, sed oneretur. Vulgata *tacitis leniter undis* elegantissimo Horatii loco (C. I. 3. 7.: Liris quieta mordet aqua taciturnus amnis) apte componi potest: Huschkii inventum non potest. Una verissima est Wunderlichii interpretatio verborum *per vada*: esse enim ait *per alveum*: fortasse miraris, tam nude positum esse *vada*: at cum verbum *serpis* proxime collocatum sit, epitheton non admodum desideratur. Dativum *placidis aquis* post ablativum *tacitis undis* inscite illatum esse, nemo neget: idque ipsum maximopere Dissenio displicuit: nec tamen hoc quicquid vitii est, interpreti aut librariis cuiquam tribuendum est, sed ipsi poetae. — v. 15. *Quantus et aethero contingens vertice nubes frigidus intonsos Taurus alat Cilices*. Scriptura *arat* necessario corrigenda est: quam qui tuentur, argutius, quam verius hanc vocem interpretantur (vid. Heyn. et Huschk. ad h. 1.). *Alit* graece sonat τρέφει, quod saepe ponitur pro ἔχει: quamquam est multo, quam istud, significantius. Hoc autem loco *alit* proprie dictum esse, ex iis intelligitur, quae Strabo de pascuis convallibusque Tauri fertilibus tradidit. Pro *aethero* in promptu erat scribere *aetherias*, vel quod Huschkio placuit, *acrio*: sed recte Lachmannus et Dissenius *aethero* servarunt. Conf. Sil. Italic. III. 480. 491 et 493. *Aetherius* vertex poetis dicitur *arduus, celsus*. *Intonsi* Cilices sunt, qui Avieno descr. orb. terr. v. 1029. *diri* vocantur. Etiam Getae ab Ovidio et Alpium incolae a Livio appellantur *intonsi*. Paulo infra epitheta tria uni substantivo iuncta sunt, *intacta*,

*alba, sancta*: quorum unum, *intacta*, copulandum est cum verbo *volitet*: sed cum *intacta* eadem appelletur, quae *sancta* cumque alterum altero efficiatur, haec copia facile videatur esse nimia. Verba Ovidii (Metam. I. 168.) qui possint huic loco comparari, non video: habent aliquam sane cum Tibulliano loco similitudinem, sed nihil molesti. — v. 36. *Expressa incultis uva dedit pedibus*. Apud Ovidium (Metam. II. 29.) ipse *Autumnus calcatis sordidus uvis* dicitur: apud Propertium (III. 17, 18.) *inquinet uva pedes*. Etiam in Epitom. II. Wernsd. Tom. IV. v. 292.: *gaudet pressis immundus uinitor uvis*. Itaque non deerant, qui hic quoque *incultis* explicarent *immundis musto*. Verum etsi ea, quae neglecta iacent, necessario paullatim sordibus et squallore obducuntur, saepe etiam res sordidae et squallidae, ut probri invidia minuatur, *incultae* vocantur: tamen non temere haec verba inter se confundi et commutari posse, recte monuerunt interpretes huius loci recentiores (conf. Diss. ad h. l.). Itaque Vossius aliam ingressus explicandi huius vocabuli rationem *incultos pedes* ait dictum esse pro *incultorum hominum pedes*. saepe enim attributum a tota re ad eius partes transferri. Vossii opinio probata est Dissenio. Atque dubium esse nequit, quin quicquid ingenii et morum sit, ad eam corporis partem, quam vis aliqua ab animo profecta prae ceteris partibus affecerit, recte possit traduci: quamobrem non raro *membra nescia, manus doctae, pedes rudes* dicuntur. quamquam in hoc genere latini sermonis usus angustioribus terminis continetur, quam Graecorum audacia. Sed hoc loco cum uvas pedibus conculcare nullum sit artificium, iure negat Huschkius, causam esse, cur homines aut pedes eorum *inculti* vocentur. A vita autem ac moribus hominum hoc epitheton transferre ad pedes iisque notam feritatis inurere, id prorsus ineptum est, nisi forte putas, sicuti apud Ovidium (Heroid. Epist. 3, 2.) *manus barbarica* aut apud alios *manus clementes, incontinentes* dicantur, sic hoc loco *pedes barbaros* dici. At commode *agrestium* hominum pedes *inculti* vocantur: namque id genus hominum non curat, ut pes tener, exiguus, decens, candidus sit: sunt igitur *inculti pedes* callosi, indecori, informes (plumpe, rohe.) Egregie autem Dissenius docet, cur id potissimum epitheton delectum sit: erant enim agrestes homines primi, qui ab Osiride edocerentur. Ceterum Ovid. Amor. I. 8, 39. Sabinae *immundae* appellantur, pro quo in aliis libris legitur *incultae*, fortasse ex emendatione repositum. Denique cum verbis *non notis arboribus* confer. Calpurn. Eclog. X. 40.: et *ignotos*, pueri, calcate *racemos*. — v. 39. sq. *Bacchus et agricolae magno confecta labore Pectora tristitiae dissoluenda dedit: Bacchus et afflictis cet.* Bacchum per immutationem p̄to *vin*o positum esse, apparet: sed haud scio an id parum scite factum sit: facile enim quis possit hoc nomine induci, ut opinetur, qui Bacchus dicatur, esse Osirim. Neque ea, quae sequuntur *pectora agricolae tristitiae dissoluenda dedit*, sunt politissima. Apud alios poetas franguntur vel conficiuntur corpora seu membra labore, pectora autem curis, moerore, aerumnis. Verum istud non moror: video etiam, cur poeta *pectora* scripserit, nec ignoro, saepe pectora pro ipsis hominibus poni: et tamen me meae sententiae non poenitet. Impeditam esse orationem, senserunt etiam Muretus, Passeratius, Guietus, Heinsius, qui omnes *laetitiae pro tristitiae* repositum maluerunt, quo esset, cui verbum *dedit* coniungeretur. At recte recentiores

tutati *tristitiae* rationem huius genitivi explicarunt. Nollem Heynium his verbis contulisse ea, quae leguntur I. III. c. 6. 27. *venti temeraria vota aerae et nubes diripienda ferant*: quae his non magis comparari possunt, quam illa Ovidii (Fast. II. 521.): *farra flammis torrenda dedere*: in quorum locorum neutro quidquam novi est. Ut vero dubium non est, quin *tristitiae* sit genitivus (vide Ruddim. institut. grammat. lat. Tom. II. p. 120. Axt. ad Vestrit. Spur. p. 66.): ita negari nequit, parum apte *dedit* proximum ab illo vocabulo locum tenere. *Agricolae* num genitivus sit an dativus, ambigitur: Bachius dativum esse vult: in quo cum alii ab eo dissentiunt tum Dissenius, cui inepte dictum videtur, *deum pectus, quod sit agricolae, dare agricolae exhilarandum*. At, si quaeris, haec ipsa interpretatio insulsa est. Quod autem Dissenius dicit *dedit* absolute positum valere »er giebt dahin«: posse enim et *vincendum aliquem* et *solvendum dare* ita dici, ut *quis* vel *quid* vinciat vel solvat, non adiciatur, in eo virum doctum puto egregie falli. Qui tandem, quaeso, integra sententia possint haec ipsa omitti, nisi forte ex iis, quae addita sunt, intelliguntur? Atqui hoc loco Bacchus est *vinum*: ergo *vinum* pectora agricolae magno labore confecta dedit dissolvenda *tristitiae*: quid istuc? »der Wein giebt das abgemühte Herz des Landmanns dahin, um von der Traurigkeit gelöst zu werden«: haec non intelligo. Equidem necessario construendum puto hoc modo: *vinum dedit agricolae* — est autem dativus — ea pectora, quae quamvis confecta sint magno labore, a *tristitia* dissolvantur: »der Wein gewährt dem Landmann ein vom düsteren Ernste zu lösendes Herz, wie dasselbe auch von Mühsal erschöpft sei«. De vi participii *dissolvenda* vide Haas. ad Reisig. instit. gramm. p. 746. annot. 580. Mea sententia in hoc participio ubique inest vis quaedam necessitatis, qua quid eo adigitur, ut id, quod verbo significatur, assumat vel induat (dass es in den Zustand kommt, das vom Verbum Bezeichnete als seine Qualität anzunehmen). Hoc quoque loco *vinum* non tam potestatem facit, quam affert necessitatem pectoris curis solvendi. Unde festive Horatius C. III. c. 21, 12.: *tu lene tormentum ingenio admoves duro*. Plerumque poetae infinitivum iungunt verbo *dare*: qui si esset positus, oratio expedita foret: velut Eleg. 8. v. 56.: *ipse dedit cupidis fallere posse deus*. — v. 43. Broukhusius ex uno Statii libro *tristes vultus* repositum maluit: quae argutiae viri doctissimi digniores sunt, quas mireris, quam refutes: oppugnavit tamen eas magno operae impendio Heynius. — v. 47. *dulcis tibia cantu*. Plerisque interpretum placuit *dulci tibia cantu*. Quod si, ut apud Horatium *fistula*, ita hoc loco *tibia dulcis* dicta esset, omisso verbo *cantu*, nihil certe desideraretur. Nec vero scriptura *tibia dulcis cantu* quidquam habet offensionis, quamquam haec constructio praeter hunc locum nusquam apud Tibullum reperitur. Equidem poetam solo aurium iudicio puto motum fuisse, ut *dulcis* scriberet. — v. 49. *et centum ludos Geniumque choreis concelebra*: Pro *ludos* dedit Statius de coniectura *ludis*. Marklandus et Heynius refinxerunt: *et Genium ludo Geniumque choreis concelebra*, quam coniecturam Huschkus palmarem ducit; sed postmodum ipse cum demonstrasset, quantum in numero centenario esset ponderis, coniecit: *huc ades et Genium ludis centumque ch. conc.*, scilicet ut *Genius* in suum locum, quo iniuria motus esset, restitueretur. Dissenius praeterquam quod

*ludos* in *ludis* mutari iubet, nihil molitus est amplius. Gruppius Lachmanni vel codicum potius auctoritatem secutus *ludos* tuetur. Ego non immemor sum simillimi zeugmatis apud Ovid. Met. IV. 444. sqq.: quod tamen iam nullum est, postquam Iahnus, Balthius et Handius verum ab Heinsio sede sua pulsum iure postliminii redire iusserunt: sed ut huius loci scriptura staret, apud Tibullum tamen si dicerem horridum istud zeugma mihi probari, mentirer. Cum Genius, qui choreis, idem ludis concelebratur, scribendum est aut *centum ludos Genioque* (dem Genius zu Ehren) *choreas conc.* aut *ludis Geniumque choreis concel.* — *tempora* Osiridis dici, manifestum est: pronomen *tu* repeti debet ex verbo *ades* (vide tamen Heyn. ad h. l.). *Centum*, velut Horat. C. IV. 1, 15.: puer centum artium. — v. 51. *Illius et nitido* Lachmannus: *e nitido* Heynius, Huschkus, Dissenius, alii dederunt. hi num recte fecerint, dubito. Ovid. Metam. I. 266.: canis fluit unda capillis. Epist. Heroid. XXI. 165.: saepe coronatis stillant unguenta capillis. Ac persuadere mihi non possum, sequentibus verbis *Sic venias hodie* vocari Genium. Genii imago aderat: Osiris invitatur. Ad hunc, non ad illum conversus poeta *sic*, inquit, *venias hodie*. Idem senserunt Broukhusius et Heynius: contra quos Dissenius dicit, rem ipsam docere, agi hoc loco de Genio. Turpe est in re manifesta errare: sed Dissenii rationes non eae sunt, quibus mihi hic error eripiatur. quadecaussa etiam nunc mihi persuasum est, germanam scripturam esse *et*. Paulo supra Osirim appellans dixerat: *incalesce vino*: nunc addit, etiam *illius caput* — dicit autem Genii — *unguento niteat*. — v. 53. Frustra haesit Heynius in verbo *dem*: res est ab Huschkio et Dissenio satis illustrata. Nec Heynius eam ignoravit, id quod ex eius annotatione intelligitur; sed vir doctissimus implicatus nescio qua aurium offensione haesitavit. — v. 56. *Mopsopio*. Mopsopiam urbem, Mopsopios muros, Mopsopium iuvenem commemorant alii quoque poetae: docte sane, sed sine ulla doctrinae ostentatione. Quid autem regium hoc nomen ad designandam mellis praestantiam valeat, equidem non dispicio. Quanto prudentius alii mel *olentis* Hymetti praedicant, quod nobilissimum omnibusque cognitum esset. — v. 58. Huschkio geminatum pronomen et asyndeton placuerunt: quod miror: melius multo Heynius, qui in annotationibus loco retractato probe intellexit, male a Broukhusio alterum *quem* invectum esse. In subsequentibus assentior Broukhusio, Heynio, Huschkio, qui *canet* scripturae *canit* anteposuerunt: nec me movet locus a Dissenio allatus II. 2, 10., cuius similes multi et alii apud graecos et latinos scriptores reperiuntur. At in omnibus eiusmodi locis ea ratio regnat, ut res eventura iam pars esse praesentis temporis coeperit aut animus morae impatiens ea, qua mens solet esse celeritate, tempus occupet remque futuram ante oculos ponat. Neutrum mihi in hunc locum cadere videtur. Nam cum eo ipso tempore via sterneretur necdum trita esset agricolarum pedibus, non video, qui apte scribi potuerit *canit*, praesertim cum futurum exactum *venerit*, *vetulerit*, sequatur nec ulla hoc loco animi sit commotio. Itaque *canet* scriptum malim.

Eleg. VIII. v. 1. *celari possim*. Sic Scaliger et qui eum secuti sunt, Heynius et Huschkus. at recte Lachmannus, Dissenius, Gruppius *possim* ex libris dederunt. Coniunctivus enim, sive eum pro futuro positum dicis, sive vim ei tribuis graeci optativi cum

ðv iuncti, ab hoc loco alienus est, cum poeta hac arte sua coniectandi gloriatur. —  
 v. 11. Ex varietate scripturae a plerisque *succo* delectum est: quamquam altera scriptura  
*fucō* plurimum librorum auctoritate nititur. Cavebant nimirum, ne cataplasmata, sed  
 smegmata i. e. succi aromatici intelligerentur (conf. Dissen. ad h. l.). At recte Hey-  
 nius mihi videtur monuisse, epitheton *splendens* magis *fucō*, quam *succo* accommoda-  
 tum esse. Idem tamen multum abest, ut *succum* reiiciat, quippe quod saepe docte po-  
 situm sit pro *fucō*. Quod si ita est, haud scio an recte scripserit Huschkus *fucō*.  
 Scaligeri autem commentum *onerasse* nemini nec probatum est nec probari poterit.  
 Ut enim cataplasma intelligatur, satirarum potius, quam elegiarum scriptorem deceat  
 dicere *onerare*. *Ornare* denique, cum perfectum verborum *coluisse*, *dispos.*, *subsec.*,  
 vim praesentis habeat, dubium non est, quin in hoc numero ferri possit: verum con-  
 cedendum erit, unius varietatis gratia id factum: nam quae alia sit ratio variati tem-  
 poris, non liquet. Aurium certe iudicio perfectum *ornasse*, quod Italorum est, non  
 minus commendatur, quam praesens *ornare*. Res igitur sola codicum auctoritate de-  
 cernitur. — v. 14. *ansaque compressos colligit arta pedes* i. e. vinculum sive habena  
 crepidae tam arta est, ut pedes comprimat eoque colligat. Offendit locutio *pedes col-  
 ligit*: nam pedes non ut capilli in nodum colliguntur multumque differt inter haec duo,  
*colligere aliquid et se colligere in aliquid*. Verum prudenter poeta addidit *compressos*,  
 quo addito quid valeat *colligere*, apparet. Colliguntur enim, quae dissipata, disiecta,  
 sparsa sunt: quae diffluunt, dilabuntur. Pedes igitur natura latiores si crepida angustiore  
 comprimuntur, *colligi* non inepte dicuntur. Iure igitur Heynius, Huschkus, Lach-  
 mannus, Dissenius scripturam *colligat* repudiarunt. *Colligat* num omnino hic poni  
 potuerit, valde dubito: sonat enim *pedes colligare* longe aliud. Accedit, quod epithe-  
 ton *arta* i. e. *constringens* vim verbi *ligare* continet, verbi *legere* non item (conf.  
 Huschk. ad h. l.). — v. 15. *ipsa pl.* sic Heyn. et Huschk.; sed cum oratio a Maratho ad  
 puellam, de qua poeta nondum locutus est, transferatur, *ipsa* minus placet, quam *illa*. —  
 v. 17. *pallentibus herbis*. Poetis saepe res, quae pallore inficiunt, ipsas dici *pallentes*,  
 notum est. Atque apud Ovidium II. art. am. v. 105. potest utrumque apte dici, *pollentia*  
 et *pallentia philtira*. praestat tamen *pallentia*, quippe quod illic significantius sit; Metam.  
 autem IV. 49.: nimiumque potentibus herbis. Etiam hoc loco, ubi de carminum et herba-  
 rum, quibus iuvenis captus et devinctus teneatur, vi et efficientia agitur, eo minus cuncto  
 amplecti scripturam *pollentibus*, quod paullo infra (v. 52.) pallor commemoratur. Idem  
 senserunt Heynius et Huschkus. Lachmannum, cui *pallentibus* placuit, sequuntur Dis-  
 senius et Gruppius: Dissenius tamen mutata sententia in alteram partem discessit (vid.  
 eius annot. ad h. l.). — v. 22. *et faceret — si non — sonent*. De consecutione tem-  
 porum in his carminibus saepe perturbata Dissenius diligenter disseruit in proleg. p. 180.  
 Totum id genus ad *unam* rationem revocari et potest et debet, ad brevitatis studium  
 seu artificium potius, quo duae in unam conflantur sententiae: velut I. 4, 63. carmina  
 ni sint, ex humero Pelopis non nituisset ebur. Sententia explicata haec est: quia car-  
 mina sunt, ex h. P. nituit ebur. idem hoc modo dici potest: fac, nulla esse carmina:  
 quid sequeretur? non nituisset ebur. II. 4, 7. O ego ne possim tales sentire dolores,

quam mallet in gelidis montibus esse lapis i. e. nisi durus sum, qualis est lapis, fieri non potest, quin hos dolores sentiam. mallet igitur, si fieri posset, lapis esse, ut hos dolores effugerem. Itaque minime necesse est, hoc loco reponi *faciat*. — v. 27. *Nec ... tamen*. Sententiae inter se hoc modo aptae et connexae sunt: sed quamquam puer sua imprudentia in tantum malum devenit, tu tamen ne difficilis ei sis nec munera ab eo poscas. Quod sequitur *amplexus* Huschkius docte illustrat comparans Sophocleum παραγκάλισμα: simili modo apud Lucretium IV. 1165. labiosa dicitur φίλημα. — v. 35. Scaliger pro *invenit* emendavit *inveniet* eique Heynius et Huschkius assensi sunt. At non opus est futuro. Venus, quae furtis gaudet, iam *invenit*, quod dictum est, ut graece εὕρε multo magis viget, quam *inveniet*. Dissenius illud recte explicavit, hoc tamen scribi mavult. — v. 36. *dum timet*. Ita in libris scriptum reperitur. Scaliger de coniectura dedit *tumet*: a librorum scriptura stant Lachmannus et Gruppius: Scaligero suffragati sunt Heynius, Wunderlichius, Huschkius, Dissenius. explicant *tumet* graece ὄργα. dici autem volunt florem aetatis. Et erat sane iuvenis ea aetate, qua corpus vivere ac vigere solet, notique sunt Statio *anni tumentes*. Verum ὄργαν latine *turgere* potius sonat, quam *tumere*, quod est οἰδαίνειν. Deinde etsi *terrae* et *vites* verno tempore *tumere* dicuntur, tamen idem verbum si ad homines translatum est, iram, superbiam, fastidium denotat. Praeterea iuvenilis aetas satis declaratur verbis *teneros sinus*. Quae cum ita sint, incertus haereo. *Timor* rursus quemadmodum cum flagrantissimo libidinis aestu, qui hoc loco describitur, congruat, non magis intelligo. Quid? etiam tum puerum subtimidum fuisse et celasse, quanto puellae amore deperiret? an a marito timuit, ne si in hoc adulterio esset deprehensus (conf. Grupp. p. 204.), ei, ut cum Horatio loquar (Serm. II. 2, 39.), multo corrumpetur dolore voluptas. Ne id quidem mihi probabile est. Locutionem *sinus conserere* Heynius egregie interpretatus est: sed nescio qua iuncturae asperitate offensus ad coniecturam *conserere* plane inutilem et perversam deflexit. Eodem delatus Bachius *conseruisse* emendavit. At si Dissenius *usque* i. e. in eum fort explicat *nunquam non* idque iungit adiectivo *teneros*, vim vocis *usque* misere detorquet. Ceterum magnam esse huius loci lasciviam, frustra negat Heynius: et ad has nequitias mihi *tumere* quadrare videtur (conf. Lucret. IV. 1101 sqq.). — v. 39. *Non lapis hanc gemmaeque iuvant, quae frigore sola Dormiat*. Scaliger emendavit *iuvent* et *dormiet*, quorum alterum Heynius et Huschkius receperunt, alterum respuerunt. Ac *dormiat* quidem Heynius interpretatur *dormire sustinet*: qua interpretatione vim sententiae pervertit. Quod autem maius est, obsecutus Scaligero postquam verba *et nulli sit capienda viro* cum iis, quae supra leguntur *hanc — iuvent* coniunxit, casuum ait commutationem esse eam, quae paullo quidem durior sit, sed apud alios quoque scriptores reperiatur. Fallitur vir eruditissimus. nam si ea esset huius loci ratio, necessario scribendum erat *iuvent*. imprecaretur enim poeta puellae poenas avaritiae. At vero poeta dicit, munera vel pretiosissima nihil habere, quo puella calescat i. e. quod ei tantam, quantam pueri amplexus, voluptatem praebeat. Monet igitur puellam, ut ne talia consectetur. Coniunctivi *dormiat et capienda sit* positi sunt, quia pronomen *quae* valet *si qua*, ut recte vidit Dissenius. Tueri sane licet con-

iunctivum *iuvet*, dummodo explices » es mag vel wird nichts nutzen«: sed indicativus praestat, quippe quo declaretur, rem certam esse. Itaque Santenius iure servavit *iuvant*. Slothouveri autem coniecturam, quam Huschkius laude cumulavit, neutiquam necessariam esse, apparet. Offendit etiam vox *frigore* tam nude posita. Interpretes, quod ego sciam, omnes explicant *hiberna nocte*: quas noctes Muretus monet longas fuisse. Heynius *frigus* ait posse etiam ita intelligi, ut explicetur: *quae sola ideoque frigida dormiat*. Ovid. Art. amat. III. 70.: frigida deserta nocte iacebis anus. Vir doctus ablativo *frigore* videtur eandem vim tribuisse, qua supra (I. 2, 76.) *fletu* positum diximus. Quae viri docti opinio etsi probari nequit, tamen Heynio non indigna est. Huschkius quoque miratur, si puella hiberno tantum tempore senserit, cum sola dormiret, nulli sibi lapides pretiosos et gemmas usui esse. Iniuria, nam hiberna nocte frigus vacui tori multo acerbius puellam monebat, quantum haec solitudo ab aestu illorum amplexuum distaret. Hae nugae sunt, sed facetiis et arte conditae. — v. 41. Broukhusius, ut I. 4, 36. hic quoque ex varietate scripturae delegit *iuventas*: assensi sunt ei Heynius et Huschkius. De differentia vocum *iuventa* et *iuventas* egerunt Heins. ad Ovid. Metam. IV. 17. Kapp. ad Tacit. Germ. c. 20. Reisig. instit. gramm. lat. p. 116. Forbig. ad Virgil. Aen. V. 398. Atque apud Virgil. loco allato *iuventas* legitur, cui ex altera parte oppositum est *senecta*, sed addito *tardans*, quo appareat esse *senium* (conf. Horat. Epod. 17, 20. II. C. 11, 6. verum I. 30, 5. est dea Iuventas). Tibullus et I. 4, 36. et hoc loco de ipsa aetate loquitur. Liv. 35. 42, 12.: non ita se a *iuventa* eum gessisse, ut in *senectute* dominum laturus videatur. Tacit. Hist. I. 7.: *aetas* Galbae irrisui ac fastidio erat assuetis *iuventae* Neronis. Ut breviter ac strictim usum et differentiam horum vocabulorum explanem, *iuventus* ponitur etiam pro iuvenibus, non item *iuventa* (\*): utrumque ponitur pro iuvenili aetate, sed *iuventus* in prosa oratione sedem suam habet, nec tamen a poetis spernitur (conf. Kön. de sermone lat. poet. epic. p. 216.): vocabulum *iuventa* frequens est in *poesi*, a prosae orationis usu castae quidem ac purae alienum fuerat: posthac in eam importatum ac brevi a scriptoribus usurpatum est. Vocem denique *iuventas*, cuius usu, nisi si ipsa est dea, quae Hebe graece vocatur, pedestris oratio prorsus abstinet, sumunt sibi poetae, ubi decus iuvenilis aetatis persona deae illius tanquam forma expressum designetur. Frequentius tamen est in ipsa poesi vocabulum *iuventa*, quippe quod in casibus obliquis facilius metricae necessitati pareat. Itaque ut ad locos Tibullianos redeam, in utroque loco haud dubie reponendum est *iuventa*. — v. 46. *et faciem dempta pelle referre novam*. Heynius fucum illitum dici ait aut smegma, quo cutis laevigata sit. Consentit Dissenius: esse enim rugosam cutem, quam velut angues exuant. Curabant nimirum istae mulierculae, ut cutis erugaretur ac teneresceret. sed fortasse mirabere, quod pellis iis dematur: quod enim anguibus datum sit, inquires, id hominibus negatum esse. Ovid. Art. amat. I. III. 77.: anguibus exiit tenui cum pelle vetustas: nostra sine auxilii fugiunt bona. Idem Met. I. VII. 236.: nec erant tacti nisi

\*) Horat. III. C. 2, 15. *imbellis iuventae* compares Homericis ὀμηδική. est autem acerbe dictam et prope in oxymoris numerandum. Oportet enim iuventam *valentem, fortem et audacem* esse. Vid. Doederlin. Synonym. Tom. V. p. 48.



odore dracones: et tamen annosae pellem posuere senectae. At Iuvenal. VI. 467.: Tandem aperit vultum et tectoria prima reponit. Incipit agnosci atque illo lacte fovetur. et paullo supra 462.: Pane tumet facies: ad quos locos vetus enarrator medicamentum ait ad tendendam faciem aut cutem magis. Et alio loco: asinino lacte, inquit, faciem linit, ut cutem tendat et candorem eliciat. Festus autem s. v. Tentipellium: Titinium ait Verrius existimare, id medicamentum esse, quo rugae extenduntur, cum dicat: Tentipellium Inducis, rugae in ore extenduntur tuo. Verum panis ille, smegmata ac fuci illiti tectoria erant, non pellis: illa demi poterant; haec non poterat. Quid igitur? scribatur *tenta pelle* i. e. erugata? Immo vero retinenda est vulgata, quamquam pellis nec *rugas* sonat — qui enim rana Phaedri (I. fab. 24, 4.) *rugosam inflaret pellem* — nec *detractam cutem* ubique significat: sed pellis cute laxior est et asperior, ita ut levitate illa iuvenili ac candore careat. Quocirca Iuvenal. X. 192.: deformem pro cute pellem pendentesque genas et — aspice rugas. Ovid. art. amat. III. 73. quam cito (me miserum) laxantur corpora rugis. Itaque ut hodie contentim dicunt »das Fell«, ita sane hoc loco dici potuit, vetulam demta pelle faciem novam referre: demebatur autem pellis illis ipsis artibus et medicamentis, quibus tendebatur. — v. 49. *puero quae gloria victo est*. Quem huic Tibulliano Wunderlichius comparavit Taciti locum, is, cum nihil habeat, quod sit ambiguum, comparari nequit. In Tibulliano nimirum, si sola verba spectes, nihil impedit, quominus *puero victo*, qui ablativi sunt, pro dativis habeantur, At res ipsa clamat et utrumque recte dicitur: quae gloria est ex victo puero, et victo puero, quae gloria est. Si *tibi* additum esset, nulla foret ambiguitas. Ovid. III. Met. 654.: quae gloria vestra est, si puerum iuvenes, si multi fallitis unum. — v. 52. Broukhusium, qui pro *tingit* ex aliquot libris dederat *tangit*, iam Huschkus refutavit: et quae est horum verborum differentia, de scriptura dubitari nequit. — v. 53. Pro *vel* scripsit Muretus *vaeh*, Heinsius *ah* idque probatum est Heynio. Scripturam *vel* revocavit Broukhusius, servarunt Lachmannus, Huschkus, Dissenius, Gruppius: sed mutasse sententiam videntur Dissenius (vide eius annotat. ad h. l.) et Gruppius, et is quidem convertit »Ach wie seufzt er so oft«. Huschkus locis, quos affert, Terentianis nihil obtinet: et Donati praeceptum quam incertum sit, hodie inter omnes constat. Quam igitur scripturam Huschkus nulla posse machina subverti perseverat, ea Dissenii rationibus evertitur tam planis tamque firmis, ut qui restent, obstinati habendi sint. Etenim cum puer non praesenti puellae questus sit cumque praeterquam, quod puella non venit, omnino nulla sit eius doloris causa, videre non licet, qui *vel* ferri possit. Atque sententia summa haec est: quam saepe iuvenis queritur et lacrimas fundit propterea, quod tu non ades. — v. 55. *spernis* optimorum librorum auctoritate nititur: hac commendatione altera scriptura caret. quae, etsi puer non Tibullo queritur, sed secum loquitur, nihilo tamen, quam altera, deterior est. nam etiam infra *spernit*, *fugit*, *promittit* positum est. Veruntamen facile concedam, secundam personam verbi, quoniam paullo ante dictum est *absenti querelas conicit*, cum animi commotione, qua hae querelae excutuntur, magis congruere. Est enim in secunda persona maior vis desiderii et amoris, in tertia doloris et irae. — v. 64. Viri docti in hoc versu alii *modis* alii *malis* legi

iubent. Utraque scriptura ex libris divulgata est. Minus finite dictum est *modis*: etenim is quoque, qui aliis curis vel etiam voluptate nocturnum tempus consumit, *multis modis* potest *noctem evigilare*. Huschkus adversatus scripturae *malis* arbitratur necessario scribendum fuisse *cum multis malis*: in quo fallitur: quidni latine dicatur *multis malis* bei sive unter vielen Qualen. Ceterum conf. Ovid. I. Am. 6, 70. Tu domina — Temporis absunti tam male testis eris. Egregie autem Dissenius vers. 66. scripturam *pedem* contra alteram, cui verba, quae I. 6, 62. leguntur, praesidio videantur esse, munit atque sustentat. — v. 72. *ultorem post caput esse deum*: nove dictum est *post caput*: sed quia *caput* saepe pro *ipso homine* ponitur, in omnibus autem imprecationibus dirae et comminationes *in caput alicuius* coniici solebant, poeta ad similitudinem locutionis *post tergum effinxit post caput*. Soph. Oed. R. 263. *νῦν δ' ἐς τὸ κείνου κρατ' ἐνήλαδ' ἢ τύχη*. — v. 73. *Saepe etiam lacrimis fertur risisse*. Heynius et Dissenius huic loco conferunt Horat. Serm. II. 3, 72.: frustra: ibi enim est *γναζμοῖσιν ἀλλοτρίοισι* ridere. Nec necesse est, *lacrimis* mutari in *lacrimas*. Nam *ridere aliquid* est etwas belachen sive über etwas lachen, aut etiam spotten. *ridere autem alicui*, velut apud Virgil. Aen. V. 258., einem zulachen, seine Freude und sein Gefallen haben an Etwas. Conf. Hauthal. ad Pers. Sat. III. 86. p. 220. sq. — v. 76. *opposita est ianua dura sera. est*, ut Huschkus quidem testatur, in omnibus libris legitur: quo verbo addito cavetur, ne aures quattuor vocibus *in a* cadentibus offendantur: id manifestum est, sed quemadmodum copula *est* vim vocis *opposita* intendat (vid. Dissen. ad h. l.), equidem non dispicio; dubito etiam, num *est* commode adiectum sit verbo *opposita*: certe si in libris non legeretur, nemo illud admodum desideraret. Ovid. Metam. III. 354.: sed fuit in tenera tum *dira* *superbia* forma. At vincat codicum auctoritas. *Opposita* autem, non *apposita* legendum esse, mihi quoque persuasum est. Etiam apud Ovidium III. Amor. 14, 10: *opposita* praestat propterea, quod sequitur *populum submovet*. Contra apud eundem II. art. amat. v. 244, et Fast. I. 266. anteposenda erit scriptura *apposita*. Omnino ubi id agitur, ut aliquis aditu prohibeatur, *rectius opposita sera*, contra ubi quid muniatur aut ocludatur, *rectius apposita sera* scribitur. Ovid. Heroid. Epist. VII. init. *fores* dicuntur Paridi *non oppositae* i. e. nihil prohibuisse, quin hospes domum intraret.

Eleg. IX. v. 1. *miseri amores* ii dici possunt, qui aut non mutui sunt aut proditi multisque inde cruciatibus animi ac curis coniuncti. Itaque hic, ubi poeta pueri perfidiam increpat, *miseros* eos potius, quam *teneros*, id quod Vossio et Huschkio placuit, dicendos fuisse; apparet. Wunderlichus certe non ignoravit, quod vel tironibus ex Ovidio cognitum est, amores teneros dici: sed vir doctus vidisse videtur, in istos amores vel *castos* vel *miseros* illud epitheton non quadrare. — v. 7. *habili aratro*. Quoniam vomer fere *gravis* vel *durus* dicitur: *durum* etiam *terrae opus* statim subsequitur, Dissenius *habile* explicat *aptum vertendae terrae et lucri parandi consilio*. At multo melius Heynius, qui *habile* ait *aratrum* dici propterea, quod *aratoris manu regi ac dirigi possit*. A *stiva* nimirum hoc epitheto ad *aratrum* translato poeta apte rustici magis, quam boum operam designavit. Virgil. Georgic. I. 213.: tempus iam dudum incumbere aratro. In versu nono scriptura *parentia* satis firmatur et notissimis illis locis Horatianis, in

quorum altero Auster dux inquieti Hadriae turbidus, altero autem Notus arbiter Hadriae appellatur, et verbis Ovidii, quae leguntur Trist. I. 2, 25.: Nescit cui domino — *ventos* autem dicit — pareat unda maris. — v. 10. *instabiles rates*: nihil aliud significat nisi *iactatas fluctibus rates*. Iuv. X. 31. alternum puppis latus evertentibus undis. Quocirca poetae navigationis periculis tuta et secunda raris et oppidi opponunt. — v. 13. *Iam mihi persolvat poenas*. In paucis libris est *persolves*, quod Vossio et Wunderlichio probatum est, fortasse quia his verbis illa subiiciuntur: *pulvisque detrahet; puer* etiam interpositis vocibus *Deus — illa — vertat* a verbo *persolvat* longius abesse: denique quia paullo infra scriptum est *tunc mihi iurabas*. Verum et illud planum est, *puerum* dici *poenas persoluturum*, et personarum commutationes apud poetas sunt frequentissimae. Adde, quod infra Tibullus quemadmodum puerum admonuerit ita narrat, ut eum ipsum alloquatur: qua de causa oratio ad secundam personam deflecteretur necesse erat. Nulla igitur causa est satis idonea, cur optimorum librorum scriptura deseratur. — v. 17. *auro ne pollue formam*. Quae Huschkus ad hunc locum annotavit, plena sunt eruditionis et doctrinae: sed in verborum interpretatione paullulum ab eo dissentio. Ille enim Tibullum vult de puero loqui tanquam de pulchra statua, quam auro polluere nefas sit. Quae enim artificum opera proprio ac suo nitore splendere debeant, ea adventicio colore et ornamento inducto pollui seu violari. Explicat igitur: *verunreinige deine Gestalt nicht durch Gold*. Equidem *formam*, ut sexcenties, sic hoc quoque loco sonare puto pulchritudinem sive venustatem eamque ut rem sacram attractione nolle poetam violari. Scripsit autem *polluere* cum delectu, quippe quod verbum et de flagitiis, adulteriis, stupris, incestis usurpatum et ad notandam morum corruptelam aptissimum esset. *auro* est *um Gold*: pretium enim significat, quo puerum istum homini spurco pudicitiam vendidisse poeta criminatur. sententia est: *entweihe deine Schönheit nicht um Gold*. — v. 23. *Nec tibi celandi spes sit peccare paranti: est deus occultos qui vetat esse dolos*. Sic Scaliger dedit de Excerptis, quorum fidem Huschkus testatur quattuor aliorum librorum scriptura firmari. Scaligerum secuti sunt Heynius, Huschkus, Lachmannus, Dissenius, Gruppius. At Heynius in annotationibus alteram scripturam: *Nec tibi celanti fas sit peccare: paranti sit Deus occultos qui vetet esse dolos* plurimorum consensu munitam difficiliorem quidem ait esse, sed certiore. Huschkus contra diligentissime Scaligerianae scripturae cavet. Veruntamen quos ipse locos congressit, ex iis discitur, et eos, qui fraudis aliquid admissuri sint aut facinus aliquod animo volvant, spe teneri, fore ut occulto id perpetrent: et, qui alios a fraudibus atque peccatis avocare velint, eos id potissimum agere, ut spem latendi et occultandi animis improborum evellant. Haec mihi tam consentanea veritati tamque necessaria videntur esse, ut in hoc genere scriptores inter se et sententiis et verbis consensisse non mirer: nec tamen propterea puto alteram scripturam loco suo depellendam esse. Est enim manifestum, prout rerum et hominum natura aut condicio ferat, dici posse aut *ne tibi spes sit peccandi* aut *ne tibi fas sit peccare*. alterum est »es sei dir keine Hoffnung, dich zu vergehen«. alterum »es sei dir keine Möglichkeit, dich zu verg.«: quorum hoc etiam fortius dictum est, quam illud. Nemo certe haerebit, si dixeris: ne tibi

fas sit clam peccare : paranti i. e. si pares scil. peccare, Deus sit, qui vetet, hos dolos occultos esse. Pro *clam* autem quidni poetae adiectivum aut participium ponere liceat? Occurrit quidem Dissenius: scribendum ait fuisse: *nec fas tibi sit celare peccanti*. Nonne vero graece dicitur ἐλάσει ποιήσας et λαῶν ἐποίησεν aut δηῶν φεάνω et φεάων δηῶ. Atque haec inter se differre, nemo ignorat. Simili modo *nec fas est tibi celanti peccare* valet: es ist dir unmöglich, heimlich zu sündigen: alterum autem *nec fas est tibi celare peccanti*: es ist dir unmöglich, wenn du sündigst, es zu verhehlen: ergo alterum tollit potestatem *furtim peccandi*, alterum *peccati celandi*. Denique dativus *celanti* nihil habet offensionis, cum ratio eius simillima sit dativi verbis *licet, datur, contingit* adiuncti. Ne vero quis fastidiosior numeros damnet, adeat Heynium, qui aliorum poetarum locos comparando hanc offensionem sublevavit. Iam vero totam sententiam si examinaveris, nihil invenies, quod vulgatae scripturae adversetur. Mōdo namque poeta puerum monuit, se malle omnia supplicia perpeti, quam eius perfidiam. Tum pergit dicere: *nec tibi celanti fas sit peccare: paranti sit deus, qui cet. verte*: Auch sei heimlich zu sündigen dir ganz unmöglich: machst du den Anschlag dazu, höre, so sei ein Gott, der deinen Trug nicht verborgen sein lasse. In his equidem nihil video, quod quis iure reprehendat. Num vero *vetet* an *vetat* scribendum sit, incertus sum. Cum *sit* legatur, qui coniunctivus ad vim futuri accedit, *vetet* fortasse potius est: quamquam poetis in hoc genere aliquid permittendum est. Restat, ut breviter dicamus de scriptura paucorum librorum *celari*, quam Huschkius merito respuit. Iunxerunt quidem veteres passivo huius verbi nominativum rei, velut Horat. Serm. II. 4, 11.: praecepta canam, celabitur autor, et Ovid. Art. Amat. II. 389.: sed furto celetur culpa modesto: Met. III. 552. sors querenda, non celanda foret. sed apparet, aut rem esse aut nomen hominis pro re positum: ubi vero aliquis ipse dicitur celari, patrio sermone explicandum est, ihm wird etwas verborgen: quod hic ineptum foret. — v. 25. *Ipsē deus tacito permisit lenē ministro Ederet ut multo libera verba mero*. Et *lene* larva scripturae est, nec magis sana sunt illa, quae alii libri praebent, *leve, leva, seva*. *Lena* ex uno libro Statii dederunt. Atque lenarum in his rebus frequentem usum fuisse, Heynium affirmat. nempe in conciliandis puellarum amoribus: nec vero hic Tibulli puer scortum est, qualia in stabulis illis Petronianis volutantur. Dissenius se ait nescire, quid impediverit, quominus dives amator ad corrumpendum puerum lenae opera uteretur. Potuit sane fieri: sed inde non sequitur, ut ita factum sit. At, inquit, ex verbis *multo mero* colligi id potest: erant enim lenae *bibaces*. Recte istuc quidem. Verum hoc loco aliquid debet accidere praeter expectationem, quo appareat, deum ipsum detectae fraudis auctorem fuisse. Praeterea si lenae in his flagitiis aliqua provincia defertur, quae partes ministro relictas? Minister, inquit Dissenius, est servus, heri comes. At is ipse minister dici nequit, nisi domino in aliqua re instruenda et apparanda praesto est. Quid igitur fecit egitve tacitus iste servus, ut minister vocaretur? Equidem Heynio assentior, eum ministrum libidinis, transactorem foedissimi amoris esse. At si idem vir doctus *lenam* dicit *ministram dominae* fuisse, quemadmodum partes voluerit distributas aut quale totum hoc negotium fuisse crediderit, non intelligo. Accedit, quod *ministro*

ablativum esse, *lena* autem traiectum volunt. At hoc quidem verborum ordine: *tacito permittit ministro*, quis agnoscat, *ministro* esse ablativum? quis porro traiectum verbum *permittit* et interiectum simul sequentis sententiae subiectum lento animo ferat? Callum profecto necesse est eius stomacho obductum sit, cui ista placeant. Coniectura Scaligeri *permittit vela* ab Heynio et Huschkio, Lachmanni *nonne* a Dissenio repulsata est. Mureti coniecturam *saepe* Heynius commodissimam ducit, sed languidam. Mihi inventum viri elegantissimi propterea non probatur, quod *saepe* iniquo loco inculcatum foret. Erat enim, nisi me omnia fallunt, haec vox geminanda, ita ut diceretur: *saepe deus tacito cet., saepe deus somno*: quod tamen ineptum esset: caput enim sententiae est in verbis *ipse deus*. Huschkio Santenii vestigiis insistenti placuit *frena permittit*: quod et ipse quondam conieceram. Translata nimirum imago ab equo ad hominem foret, cuius hominis lingua mercede vel fide diu adstricta subito quasi laxatis frenis in libera verba erupisset. Veruntamen ne haec quidem satis placent. Etenim manifestum est, duobus his distichis id, quod supra dictum est, deum fore, qui dolos occultos esse non patiatur, ita explicari, ut poeta moneat, ipsum deum machinaturum, ut aut minister alioqui taciturnus per ebrietatem aut periurus puer per somni quietem, uterque invitus, has nequitas prodat. Sunt autem in his versibus omnia ita composita, ut verba singula singulis prope respondeant: quae si inter se comparaveris, facile senties, ei, quam Huschkius voluit, vocis *permittere* significationi locum non esse. Iuvenal. IX. III. nec deerit, qui miseram vinosus inebriet aurem. Ovid. l. Trist. II. 446. sed linguam nimio non tenuisse mero. Propert. III. II, 56. Nec ducis assiduo lingua sepulta mero. Senec. Ep. 83. huic autem neminem commissurum arcana, quae per vinum eloqui possit. Quid ergo? fortasse legendum: *Ipse deus tacito permittit lingua ministro Ederet ut multo libera verba mero*: der Gott selbst fägt's, dass dem schweigsamen Zwischenträger die Zunge in der Trunkenheit kundmachende Worte spricht. Dativus *tacito ministro* pro genitivo positus indicat, invito ministro linguam vino solutam secreta effutisse. Lingua igitur ebrii servi quasi instrumentum foret, quo deus ad ulciscendam pueri perfidiam uteretur. Sed videant perspicaciores. — v. 31. *nullius divitis auri pondere* Lachmannus ex Eborac. reposuit: in aliis libris legitur *nullo tibi*; in Aldin. *nullo te*. *Divitis*, ut apud Tacit. Hist. I. 51. *belli ditissimi* et sexcentis aliis locis valet *ditantis* (bereichernd). Si scriptum esset *nullius auri pondere* »um keines Gold's Gewicht«, ferendum esset. numerandus enim esset locus in eo genere, de quo vide Ellendt. ad Cic. de orat. I. 45, 199. At cum *auro* epitheton *divitis* additum sit, mea quidem opinione adiectivum *nullius* eidem substantivo iunctum molestiam creat. Proprie enim dicendum erat: *non divitis auri pondere*, pro *non* poeta posuit, id quod fortius est, *nullum*: atqui *nullo auri pondere* idem est, quod *non auro, quamvis multum sit*. Ita veteres *magnum, grande, ignotum, congestum* auri, argenti *pondus* dixerunt. Ipse Dissenius, non damnaverim, inquit, scripturam *nullius*: significat enim *ne copiosissimi quidem auri pondere*. Alterum autem idem explicat: ne maximo quidem pondere. inter quae quid differat, difficile est dictu. Pronomen *te* etiamsi non necessarium est, commode tamen hoc loco est positum: *tibi* sequente voce *divitis* facile fieri potuit ut errore librariorum nasce-

retur. Itaque Heynius, Huschkius, alii iure scripturam *nullo te* tenuerunt. Recte autem Dissenius vidit, *Campania terra* arva dici Campaniae fertilissima, quibus ad-  
 iicerentur *vineta* agri Falerni praestantissima. *Verbis cura Bacchi* conferre iuvat Ho-  
 ratiana illa (II. C. 6.): et amicus Aulon fertili Baccho minime Falernis invidet uvis. —  
 v. 35. Sententia est plana, sed animadvertenda brevitatis loquendi: Ovid. Metam. II. 483.:  
 posse loqui eripitur. Sil. Italic. III. 132. *Mavors* eripuit evadere letum: quibus similia  
 haec sunt: *eriperes mihi lucere sidera*. Nam etiam ea, quae scimus, tenemus: de qui-  
 bus rebus si quis nos oratione vel obtestatione deducit sive delicit, eripit eas nobis  
 tanquam aliam, quaecunque illa est, possessionem. Ellipsis nulla est nec hoc loco nec  
 apud Horat. Serm. II. 2, 21.: ubi legitur: *vix tamen eripiam* — quin velis tergere pala-  
 tum. illustratur enim vis et significatio verbi *eripere* iis, quae eadem verborum com-  
 prehensione continentur. *Sidera caeli* frequentissimum est: qui *caelo* scribi malunt,  
 ablativum cum verbo *lucere* iungunt, ut *caelo* pro *in caelo* positum sit. quod impro-  
 bari nequit: nam acumen sententiae est, non quod astra luceant — lucent enim etiam  
 aliae res — sed quod *in caelo luceant*. — *viae fulminis purae* vocantur, quia *aethereae*  
 sunt seu per purum aerem ad terram pertinent. — v. 39. *Quid faciam, nisi et ipse*  
*fores in amore puellae?* Heynius, cui altera scriptura *quid faceres* probata est, ex-  
 plicat: quid faceres, si puellam non amares illoque adeo a Nemese metu vacares? Con-  
 sentit Huschkius. Scaliger dedit *quid facerem*, Lachmannus, et qui eum secutus est,  
 Dissenius *quid faciam*. utrumque nititur auctoritate librorum. Atque scriptura *quid*  
*faciam* non modo non depravata est, sed praestat etiam alteri. Comminatur enim  
 poeta potius, quam interrogat. *Faceres* quin ineptum sit, dubitari nequit. quid enim  
 reliquum erat, quod puer faceret? Consecutio autem temporum ad vulgarem grammatices  
 rationem facile redigitur, si totum locum hoc modo explanes: dignus quidem es, a quo  
 poenam perfidiae exigam, et ita facerem: sed cum amore puellae captus sis, nihil fa-  
 ciam, nisi ut precer, ut puella levitate te aequiparet. — v. 45. *Nam poteram*. Iam  
 Vulpus monuit, vim huius particulae referri ad vocem *stulte*. Iure igitur Heynius,  
 Huschkius, Lachmannus, Dissenius *non*, quod Scaliger et Broukhusius ex perpaucis  
 libris reposuerant, repudiarunt. Paulo infra v. 48. Mureto scribi placuit *ut*, quod  
 Heynius eleganter dictum ait. Lachmannus ex libris dedit *et*, ceteri *at*. Equidem cum  
 verito: Ja, im verblendeten Sinne pflegte ich sogar dein Lob zu singen, und nun ärgere  
 ich mich über mich und meinen Gesang, non video, cur Dissenio *et* stomachum mo-  
 verit, praesertim cum sententia accuratius examinata haec sit: und was habe ich jetzt  
 davon? nur Ärger. quapropter addit poeta, ipsum iam poenitere illa carmina fecisse. —  
 v. 51. Quod distichon Heynius eiectionem vult, Huschkius ex margine arbitratur in ipsum  
 carmen temere receptum esse, id optimo iure tuetur Dissenius. Dixerat supra poeta,  
 se amicissime, fraudulenter puerum egisse: iam dolore accensus libere effatur,  
 puerum tam sibi invisum esse, ut procul a se eum abesse cupiat: sed is ipse dolor,  
 qui hanc vocem expressit, iram concitat in pueri corruptorem, in quem poeta maxima  
 cum acerbitate invehitur, dum puerum quamvis male de se meritum paucis dimittit,  
 extremo demum carmine discidium ei denuntiaturus. Haec omnia dolori, quo tum ani-

mus poetae affectus erat, tam accommodata sunt, ut hunc locum laudandum potius, quam reprehendendum esse iudicem. — v. 62. *dum rota Luciferi — orta diem. rota pro curru* positum est, quia poeta *primum huius stellae ortum* intelligi voluit. *Oriri* graece sonat ἀνέρχεσθαι, ἀναφαίνειν. de curru autem Luciferi vide Wernsdorf. ad Incert. Eleg. in obit. Maecen. Exc. V. Nec vero si *rota solis pro orbe seu disco solis* ponitur, continuo *rota Luciferi* dici potest. Nos quoque Sonne-, Mond-Scheibe dicimus: Venus-, Mercur-Scheibe quis unquam dixerit? quippe; illorum enim planetarum formam orbis vel disci similem vel oculis cognoscimus: Veneris et Mercurii non item. — v. 64. *operum var. vic.* opera sunt φιλοσθησια ἔργα cf. Ovid. Am. I. 4, 48. II. 8, 28. — v. 65. *At tua perdidicit.* Heynius scriptum maluit *haec tua perdid.* aut *et tua perdid.* At nihil mutandum est: quamquam falluntur, qui arbitrentur poetis saepe pro *ac* poni *at*: de qua re praeclare disseruit Handius de particul. Poeta nimirum modo sororis lasciviam et foeditatem notavit, tum dicit: at non ista modo peccat, verum ipsa tua coniunx iisdem vitiis, quibus soror, inquinata est. Inde apparet, quam commode positum sit *at*. Ceterum *densus dens* (v. 68.) est ein feiner Kamm: talis pecten convenit tenuibus comis accuratius disponendis: alii aliter explicarunt. conf. Dissen. ad h. l. — v. 69. *ista haec persuadet facies.* haec verba mihi per interrogationem cum irrisione iunctam pronuntianda videntur, sicuti ea, quae paullo supra leguntur, *tunc putas* cet.: sequitur enim *non tibi*. Intelligitur, *istam hanc* faciem esse tetram et deformem, fortasse qualem nostrates vocant *fratze*. Omissa tamen particula *ut* offendit: nec locus Sallustianus ab Huschkio et Dissenio prolatus quidquam ad tollendam hanc offensionem prodest. Lege utrumque locum et mecum senties. Equidem vellem scriptum: *Ista haec persuadet facies, auro utque lacertos Vinciat et Tyrio prodeat apta sinu.* — v. 75. *Huic puer: hunc ego credam cum trucibus Venerem* — Etsi paullo supra proxime collocatum est *culta puella*, nemo tamen attentior *huic*, qui *senex* est, *puellam* intelliget: illud vero molestius est, quod statim subsequitur *hunc*, qui *puer* est, non *senex*. is enim *truci ferae* comparatur. Notum est, poetis saepe pro *hic* — *ille* aut *ille* — *ille* aut *hic* — *hic* dici (conf. Löhns ad Ovid. Heroid. ep. II. 148. Forbig. ad Virg. Aen. X. 10.): sed quos locos id genus equidem legi, in iis est sententiae ea conformatio, quae nullam intelligendi difficultatem aut ambiguitatem pariat. quod idem vereor ut de hoc loco dici possit. — v. 80. *et geret in regno regna superba tuo.* Varia scriptura est *in gremio*, quae ipsa per se satis est probabilis: sed addito *tuo* ambigue dictum foret. *Sceptra* in hac re positum non memini me legere: vocabulo autem *regnum* in rebus amatoriis nihil est frequentius. conf. interpret. ad Hor. II. C. 8, 18. IV. 1, 4. Etiam alliteratione, qua constat veteres vehementer delectatos esse, scriptura *regno* commendatur. — v. 82. *palma* i. e. parma Broukhusius testatur in omnibus fere libris legi. Scaligeri *lamna* et quod in uno eiusdem Broukhusii libro est *picta tabella* nemini probetur. Ceterum apud Propertium in iis locis, quos attulerunt Forcellinus et Heynius, hodie legitur *parma*. De commutatione literarum *r* et *l* vide Schneider gr. I. Tom. I. p. 299. Balbutientibus *palma* pro *parma* grata et accepta fuerit: cur Tibullo placuerit, Di melius sciant, ego nescio. sed iubent libri ita legi: ergo pareamus: res enim flocci est neque omni ratione caret.

Eleg. X. v. 5. Lachmannus dedit, quod est in plerisque libris, *an*. Heynius, Huschkius, Dissenius, Gruppius paucorum librorum scripturam *at* reposuerunt. Poeta excusat ipse inventorem armorum, in quem modo exarserat, omnemque ab eo culpam avertit in illos, qui primi hoc invento ad hominum caedem uti coepissent. Quod cum ita sit, *at* unum est verissimum. *an* certe ab elegantissima, quae non modo huius loci, sed totius carminis est, simplicitate abhorret. — v. 10. *Somnumque petebat securus varias dux gregis inter oves*. Hoc loco duo suspicionem viris doctis moverunt: epitheton *varias* et quod *pastor dux ovium* vocatur. Alterum enim dixerunt esse vitium ovium, quarum alba vel nivea vellera in pretio fuissent; varia et maculosa non item. Quocirca alii aliter emendarunt: et Heinsius quidem *saturas*: quod epitheton cum pecori aut ad praesepe stanti aut ex pascuis redeunti a poetis tribui soleat, haud scio an hoc loco prorsus ineptum sit. Aptius certe foret *fessas, lassas*. Horat. III. C. 29, 17. sq.: iam pastor umbras cum grege languido rivumque fessus quaerit. Veruntamen *varias* Vossius recte interpretatus est nec potest negari, esse aliquam iucunditatem imaginis, qua pastor in medio pecore versicolore meridionans repraesentetur. Addit Vossius, non curasse priscos homines, ut ne vellera a niveo colore degenerarent. Frustra Praefkius contra dicit, opinatus, *varias oves* intelligi *varios ac multiplices ovium motus*, quarum aliae exsiliant, aliae incedant, aliae etiam procubent. Quae vocis *varius* significatio qui teneri possit, vir doctus ipse viderit. Nihil ergo mutandum est. Alterum autem, quod viris doctis offensioni fuisse diximus, Heynius acriter aggressus multis et undique collectis locis oppugnavit. Constanter enim aliis poetis pastorem ait *magistrum, custodem pecoris* appellari, non *ducem gregis*, qui aries sit. Sed, dum scripturam vulgatam explodit, viro doctissimo excidit coniectura paene ridicula. Facit enim *arietem inter oves somnum petentem*: cuius commenti ipsum posthac poenituit. iure: nec vero quidquam emendandum est. Namque ex locis ab Heynio et Huschkio allatis id certe intelligitur, potuisse etiam a Tibullo pastorem ducem gregis appellari. Unum est, quod quis miretur. Apud Apollonium enim legitur: Κατ' ἔχνια σημασιῶνος μυσία μὴλ' ἐφέπονται: atque si mos esset pastorum, ut semper anteirent gregibus in pascua exeuntibus, quidni commode vocarentur *duces gregis*? Verum saepius illi subsequuntur greges. Itaque mea quidem opinione vox *dux* ita explicanda erit, ut nihil intersit, utrum pastor anteat an sequatur gregem. Atqui *duces* saepe ii vocantur, quibus imperium est (conf. Horat. C. IV. 5, 5.): quemadmodum vero agricolae arvis, vinitores vitibus imperare dicuntur (vid. Virg. Georg. I. 99. II. 370.): ita *dux gregis* hoc loco est *dominus gregis* sive is, qui ei praest. — v. 11. *Tunc mihi vita foret: vulgi nec tristia nossem arma nec audissem corde micante tubam*. Verba *tunc mihi vita foret* interpretantur plerique omnes: *si tunc mihi vita esset seu fuisset*: cui interpretationi a grammatices praeceptis nihil obstat (conf. de vi vocis *foret* Haas. ad Reisig. p. 483. annot. 445. de imperfecto *esset* pro *fuisset* Zumpt. Gr. lat. § 525.: de ommissa coniunctione *si* Sanct. Minerv. p. 702. Ruddim. instit. gr. p. 356. annot. Forbig. ad Virgil. Aen. I. 573. et Dissen. ad h. l.). *Vulgi arma* Ayrmannus *bella civilia* intelligi vult. Equidem bella nullos habitura triumphos, civilia arma, lacrimosa bella, civicos motus, impium Martem, impia praelia, romanas



acies legi: *vulgi arma* hac significatione positum non reperi. *Bachus milites gregarios* (velut Tacit. Hist. I. 46, 5.) dici arbitratus est; Vossius et Dissenius *arma vulgi* explicant cultros, falces, alia id genus arma, quae vulgus in discordiis ac dissidiis ad inferenda vulnera et caedem arripiat: *his armis* egregie opponi *tubam*, qua ea, quae a militibus committantur, proelia indicentur. Et apud Propertium quidem (IV. El. I. v. 27.) *iusta arma ustis sudibus* opponuntur (vid. annot. Kuinoel. ad h. l.). atque manus illa, quam Scipio Nasica ad opprimendum Gracchum duxit, fustibus, clavis subselliorumque fragminibus armata erat (v. Plut. v. Gracchi c. 19.). Verum enim vero poeta de bellis loquitur, non de rixis pugnis certaminibusque, quae ab hominibus de infima plebe conserantur. Ipse enim postquam dixit *nec bella fuerunt, non arces, non vallus erat*, paullo infra: *nunc*, inquit, *ad bella trahor et iam quis forsitan hostis cet.* Recte igitur Praefkius a Vossio et Dissenio dissentit: at si idem collato cum his verbis nobilissimo illo Horatii loco, ubi apud inferos vulgus Alcaei carmina cupidius audit, *vulgi arma* existimat a Tibullo dici, quod multitudo imperita armis gaudeat atque exsultet tubaeque sonum a poeta non sine trepidatione auditum laetissimo animo excipiat, haec eius interpretatio non multum quidem ab Heynii et Vulprii sententia discedit: sed hi aliquanto planius *arma vulgi* ea dicunt esse, quae vulgus, non ii, qui sapiant ac pacem colant, sectentur. Nec vero deerant viri docti, qui rati vocem *vulgi* depravatam esse ad coniecturam confugerent. Ac Broukhusius quidem coniecit *Valgi*, Boschius *frugi*, Huschkius *vel ubi*, Heinsius *dulcis*. De his opinionibus Broukhusiana iam explosa et reiecta est: Huschkiana nihil fieri potest deterius; Boschii *frugi*, etiam si teneas ea, quae Cic. Tusc. disputt. III, 8. de vi et significatione huius vocabuli tradit, tamen non neges, nimis languere (vid. Huschk. annot. ad h. l.). Quid quod verbis *tunc mihi vita foret* si quidem sonant *tunc vixissem, frugi* ne adiici quidem potest. Idemque Heinsianae coniecturae occurrit. Age sis ergo locum consideremus. Poeta modo dixit: arma inventa contra feras vitio hominum ad mutuam caedem conversa esse. Caussam bellorum avaritiam esse: quamdiu homines pauperes fuissent, omnia fuisse pacata, tranquilla, secura. His, inquit, temporibus si vixissem, nec vulgi arma nossem neque tubam audissem. Manifestum est, *tuba* indicari iusta proelia vel iustam militiam: inde consequitur, ut verba *vulgi arma*, si sana sint, aliud quid significant. Stipendia, quae ipse, cum aetatem militarem agere coepisset, in equitibus facere debebat, *vulgi arma* certe non dixit. Contentim potius *vulgus* videtur dictum esse. *Arma nosse* quamquam saepenumero valet *armis uti scire* (confer. Kissling. ad Tacit. Histt. I. 48, 1.): hoc tamen loco *nosse* mihi videtur sonare idem, quod interdum *sentire*, i. e. dolore quodam ac damno ex aliqua re capto, qualis ea res sit, intelligere, velut Horat. I. 15, 26. nosces Merionen. Poeta igitur, ni fallor (vide tamen Dissen. proleg. p. 15 et 16.) his verbis notare videtur saevam illam et ferocem turbam hominum, qui profligatis Bruti et Cassii partibus a triumphis exauctorati aut dimissi agrisque Italiae municipalibus donati iure iniuria in possessiones alienas invaserunt. qua calamitate publica Tibullus quoque partem patrimonii amisit (confer. I. I. Propert. IV. 1, 130. Grupp. l. l. p. 259.). Itaque totius loci sententia haec est: si tum vixissem, neque armati vulgi iniurias passus essem neque arma gestare et

in bellum proficisci cogerer. Quae reliqua est offensio traiectae particulae *nec*, eam aliqua ex parte sustulit Dissenius, a quo tamen Virgil. Eclog. X. 16. nollem collatum; cuius loci ratio sane est dissimillima. — v. 19. *pauper cultus* cum ad materiam et ornatum, tum ad totam colendi rationem refertur. conf. Horat. C. III. 23. extr. — v. 25. *aerata* non sunt saeva vel pernicioosa, sed quibus aes praefixum est, χαλκίγη: *aeratae* etiam *naves* dicuntur i. e. aere munitae. — v. 26. *Hostiaque e plena mystica porcus hara*. Ita Lachmannus ex libris divulgavit. Varia scriptura est: *hostia erit plena mystica porcus hara* eaque probata est Broukhusio, Heynio et Huschkio: pro *mystica* tamen iidem reposuerunt *rustica*, quod in paucis libris reperitur. Etiam Dissenius in ceteris Lachmanno consentiens *rustica* scribi maluit. Apud Horatium, C. III. 17, 15., Genio porcus bimestris, Serm. II. 3, 164. Laribus porcus seu porca immolatur. Conf. Voss. ad Virg. Eclog. I. 6. et Huschk. ad h. l. Ex his locis intelligitur, veteres porcum pro incolumitate et salute vovere solitos esse. Inde Tibullus, si salvus ex bello redisset, porcum se deo daturum vovit. Cur *mystica* hostia appelletur, non liquet. Nec enim iis, quae Muretus affert Var. Lectt. III. c. 7. res satis illustratur, etiam si, id quod Dissenius facit, concesseris, Larum sacra cum Cereris sacris aliquid similitudinis habuisse. *Rustica* autem Dissenio magis probatur propterea, quia Tibullus porcum ex copiis ruris promiserit. Video, quid senserit vir doctissimus. Arbitratur enim epitheton *rustica* a poeta iccirco delectum, ut intelligeretur, qui modo miles fuisset, eum, si ex bello revertisset, rusticaturum: *rusticum* ergo haec eum sacra facturum. Sed num propterea ipsa hostia apte potuerit *rustica* dici, vehementer dubito. Nec vero de populari opinione ad reconditoris nescio cuius doctrinae arcana deflexisse Tibullum putem. Etenim quae de hac hostia tradit Varro de r. r. I. II. 4, 9., ad tuendum epitheton *mysticus* valere mihi videntur. Quicquid est, cum in veterum superstitionibus haud pauca reperiantur, quae ipsa temporum vetustate ita sint obscurata, ut dispici a nobis nequeant, scriptura *mystica* servanda est potius, quam reiicienda. Nam quod I. 1, 23. in libro Guarneriano Vulpius ait scriptum esse *mystica*, docti cuiusdam somnio, non librariorum culpa tribuendum puto: multo certe facilius opineris *mystica* a librariis in *rustica*, quam hoc in illud mutatum esse. Maiori etiam offensioni viris doctis verba erant *hostiaque e plena — hara*: quamobrem alii arbitrati sunt, post pentametrum totum distichon intercidisse, alii emendarunt *hostia erit plena — hara*, ut videlicet esset, ex quo nominativus *hostia* penderet. At hoc modo nova paritur difficultas orationis expediendae. Quae est enim ratio ablativorum *plena hara*? Klindworthius quidem *plena hara* explicat in *pl. hara*: at cum proxime positum sit *sequar*, neutrum quadrat neque bei vollem Stalle neque im vollen Stalle: sed necessario requiritur *e*. Rem Dissenius egregie expedivit interpretatus: tela vos Lares depellite depellatque hostia, quam mactabo. Conf. Ovid. Heroid. Ep. X. 5. in quo me somnusque meus male prodidit et tu per facinus somnis insidiate meis. haec tamen plana et polita sunt: illa, quidni fateamur, aliquanto impeditiora. — v. 35 et 36. *Sed audax Cerberus et Stygiae navita puppis aquae*. *Cerberus ferox, improbus, immanis, ater* hic *audax* appellatur. conf. Hesiod. Theog. 312. κέρβερον ἀναιδέα τε κρατερὸν τε. Saevio enim latratu umbras urget et terret

(conf. Propert. IV. 21, 25. Senec. Herc. fur. III. 783. Stat. Theb. VIII. 56.). Pro *navita puppis* Broukhusius ex paucis libris dedit *navita turpis*. vocem *puppis* pro *rate*, *cymba*, *carina* positam nihil moror: sed *navita puppis* si non putide, certe nove dictum est. Licet etiam mirari, cum Cerbero epitheton depingendis loci terroribus idoneum adiectum sit, Charonti tale epitheton deesse. Itaque legendum aut *turpis* aut quod Burmannus coniecit *tristis*, quorum epithetorum neutrum abhorret a natura et habitu Charontis. Anthol. gr. I. p. 169. Charon Ἰίδεω λυπηρὸς δεικνονός dicitur: latinis poetis idem *squalidus* sive *terribili obsitus squallore* vocatur. Verum quoniam *turpis* ad scripturae vulgatae vestigia propius, quam *tristis* accedit, illud huic anteponendum existimo. — v. 37. *percussisque genis*. Varia scriptura est *percissisque*, ex qua Scaliger refinxit *percissisque*. Hoc tuetur Praefkius, vulgatam Huschkius. Vossius autem et Vulpus pro *percussis* reposuerunt *perculsis*, quippe quae voces sexcenties a librariis commutatae essent. Ac Vossius quidem *perculsas genas* explicat *metu mortis attonitas* (Ovid. Ep. ex Pont. II. 3, 90.), Vulpus *rogi flammis perturbatas*. Huschkius intelligendum ait *timore: percussas enim genas esse pavore informes*. At haec mera est interpretandi licentia, ad quam obtinendam nihil prosunt loci ab Huschkius ex aliis scriptoribus prolati. Omnes enim mirum quantum ab hoc loco differunt. Praefkius denique cum perseverat, *percissas* i. e. mortis doloribus dilaceratas genas respondere *ustis capillis*, non adtendisse videtur ad id, quod iam Heynius et Dissenius monuerant, non de luctu hoc loco — lugentium autem erat genas lacerare, pectus et femora plangere — neque de uno aliquo mortis genere, sed generatim de morte agi, ita ut non magis *genae unguibus dilaceratae*, quam, quae erat Klindworthii opinio, *macie confectae* intelligi possent. Heinsii coniectura *exesis* rei consentanea est; a vestigiis scripturae nimis discedit: eodem iure *exustis*, *exsuccis* aut *praefuscis* (vid. Manil. IV. 722.) reponas. Illud apparet, cum hae umbrae de rogo ad inferos descenderint, attributum requiri, quod simile sit epitheto *capillis* adiecto. Si quidquam mihi in animo esset mutare, conicerem *perostis*, quamquam hoc verbum compositum hodie quidem nusquam legitur. Lucret. III. 903.: Ignibus impositum calidis torrescere flammis. At quo facilius hoc loco videatur esse coniectatio, eo magis illa est lubrica. Mihi hoc unum persuasum est, *malas* umbrarum intelligi *concavas deficiente gena*. — v. 39. *laudandus* valet laude dignus: qualis haec laus sit, ex totius sententiae ratione cognosci debet: est alia laus virtutis, alia formae, alia condicionis ac vitae: si condicionis, intelligitur, aliquem feliciorum, fortunatiorum, beatiorem esse. — v. 40. *pigram senectutem* Dissenius vult praematurae morti oppositam. At ipsa *senectus* satis arguit, aliquem non iuvenili aetate absumtum esse. Mihi epitheton *pigram* a poeta electum videtur, quo declararet, sicut iuventutem deceret industria, sic senectuti permissum esse otium ac quiescere: qua de causa *paratam prolem* dicit, quae nimirum senem patrem bona parte laborum et curarum levet. Est sane interdum *tarda seu pigra* senectus das langsam, trüg heranschleichende Alter: sed ab hoc loco id mihi videtur alienum esse. Ovid. Metam. X. 396.: nutrix, non est, inquit, mea pigra senectus i. e. nicht arbeitscheu ist mein Alter. — v. 45. *Interea* recte: pace enim vult agros coli, dum ad illud otium senilis aetatis ipse pervenerit. — v. 46. *aratuos*. Haec plurimorum et optimorum libro-

rum scriptura Heinsio, Vulpio, Huschkio, Lachmanno, Dissenio probata est. In paucis libris legitur *aratores*: quae scriptura Broukhusio visa est multo elegantior. Heynius quamquam Heinsio consentit, *aratores* epico magis, quam elegiaco carmini convenire, haeret tamen, nec vero quidquam ad sustentandam scripturam *aratores* affert, sed miratur solum, cur Vulpus tanto eam fastidio reiecerit. Atque Jacobsius, cum Vulpus negasset, boves, qui nondum arassent, sed araturi essent, ullo pacto potuisse *aratores* dici, eum ita refellit, ut *aratores* per prolepsin dictum esse statueret. Suffragatur ei Jacob quaestt. epicc. p. 156. Idem sensisse Gruppius videtur, qui Puccii quam vocat coniecturam scripturae *aratuos* antepone non dubitaverit. Quod genus loquendi prolepsis dicitur, eo quamquam apud poetas nihil est frequentius (conf. Jacob. l. l. p. 137. sqq. et Axt. ad Vestrit. Spur. p. 62.): equidem tamen ad haec interpretationis artificia, ubi non necesse fuerit, confugere nolim veritus, ne temere nostras argutias veteribus scriptoribus largiamur. Atqui quae sit hoc loco necessitas rei per prolepsin explicandae, non perspicio, praesertim cum servata scriptura *aratuos* luculenter indicetur, ad quod opus boves a natura facti destinatique sint. Itaque etsi dubium non est, quin scriptura *aratores* possit defendi, tamen cum alteri scripturae haud leve momentum accedat codicum auctoritas, cumque non minus ea declaretur, Pacem auctorem fuisse boves ad usum arationis domandi, ego hanc ipsam scripturam *aratuos* praefendam puto scripturae *aratores*. Num illud, quam hoc suavius dulciusque sonet (vide Praefck. Progr. Gymnas. Brandenb. Nov. 1837 p. 17.), id suo cuique aurium iudicio decernendum relinquo. Restat, ut dicam de varietate scripturae *curva* et *panda*: utrumque sanum et probum est: utrum scripserit Tibullus, quis pro certo dicat. sola igitur codicum auctoritate decernendum erit, utrum legatur. Etiam Ovid. Fast. IV. 216.: *curva iuga*: frequentius tamen apud hunc scriptorem *panda* esse, viri docti observarunt. — v. 49. *face bidens vomerque vigent*. In excerpt. Scalig. *nitet*, unde Guetus emendando refinxit *nitent*. Speciosum sane: sed cum hoc ipso vigore *bidens* et *vomer* nitescant, illa, sive scriptura est sive coniectura ne assequitur quidem vim verbi *vigent*, quod quoniam assiduam utriusque instrumenti usum indicat, neglectis ac iacentibus armis e regione opponitur. Ceterum ut *fervet opus* (Virgil. Aen. I. 436.), *bella calent* (vid. paullo infra), ita hoc loco *vigent* dictum est. Ovid. Fast. V. 279.: cetera luxuriae nondum instrumenta vigeabant. — v. 51. *Rusticus e lucoque vehit male sobrius ipse Uxorem cet.* Particula *que* tertio loco posita minus habet offensionis, quia praepositio cum substantivo arctius iuncta est et quasi coaluit. Ovid. art. amat. l. III. 22.: in medios desiluitque rogos. Vide omnino Huschk. ad h. l. Quodsi Heynius *que* cum grata negligentia ait positum esse, fallitur. Accuratius de hac re egit Dissenius, vellem paullo planius et dilucidius. Qui hoc loco *que* poni potuerit, facile intelliges, si demto orationis ornatu sententiam ita explanaveris: rusticus pace et in agri ac vitium culturam incumbit et voluptati etiam atque laetitiae se dat. Haec duo pacis quasi munera, quae vitae rusticae obveniunt, una cogitatione cum complectenda sint, apte coniunctione *que* copulantur. — v. 58. *Lentus utrumque sedet*. Ad lepidam totius imaginis venustatem plurimum valet epitheton *lentus*: quod non videntur sensisse viri docti, qui scripturam

*laetus praetulerunt vulgatae.* Licet Huschkii mirari sagacitatem ubique imitationem Graecorum odorati: qui quo iure hic quoque laudem inventionis Sophocli tribuerit, nemo aequior harum rerum existimator non iudicet. — v. 60. *e caelo deripit ille deos:* recte Huschkius, Dissenius, alii haec interpretati sunt: nec iam dubium potest esse, quin *e*, non *et*, legendum sit. Ovid. I. am. el. 7, 6. Tunc ego ... potui Saeva vel in sanctos verbera ferre deos. — v. 61. *e membris perscindere vestem.* Res est notissima. conf. Ovid. art. amat. III. 569. Horat. C. I. 17. extr. Propert. IV. 5, 21.: sed hi *scindere* dixerunt. Terent. Eunnuch. IV. 3, 5.: *discidit vestem.* (Vid. omnino Markl. ad Stat. Silv. IV. 9, 24.) *Perscindere* displicuit Heinsio: esse enim et violentius, quam quod verbis *sit satis* accommodatum sit et ad praepositionem *e* parum aptum. Itaque ille *rescindere* coniecit: quam coniecturam Huschkius quidem ait quattuor libris confirmari. Probata est eadem Dissenio et Gruppio. Propert. III. 8, 8. rescisso sinu. Claudian. XV. 134. *rescis-sae vestes et sarta iacent.* Sed cur scriptura *perscindere* reiiciatur, causam idoneam equidem video prorsus nullam. *Perscindere* est durchreissen, einen Riss durch machen, quod praesertim, si vestis tenuis est, facili negotio fieri potest. praepositio autem *e* indicat, vestem de eo ipso loco, in quo sederit seu haeserit, rescindi. Differt enim aliquid inter praepositiones *e* et *a*: *a pectore* foret von der Brust her vel weg; quod fieri potuisset, admota pectori manu et sola veste comprehensa. *e pectore* vero fieri non potuit, nisi manu vestem inter et pectus inserta: est igitur *perscindere e pectore vestem* von der Brust aus: quod quominus dicatur, nihil impedit. — v. 62. Quamquam et apud Propertium (I. 2, 1.) et apud Ovidium (Fast. IV. 309. Art. Amat. I. III. 138. Am. II. 7, 23.) aliosque scriptores *capilli* ornati dicuntur, hoc loco tamen, ubi poeta id utique praecipit, ne quis audeat ipsi corpori manus iniicere — satis enim esse in vestem et habitum saevire —, mihi *ornatus comae* multo aptius dictum videtur, quam *ornatas comas*. Nam qui *ornatus comae* dissolvit, is non necesse est comis ipsis infestas manus ingerat. Poeta igitur amatorem iubet contra facere, quam ille facit apud Terentium, qui ipsam capillo conscidit, aut Ovidius, cum dicit Amor. I. Eleg. 7, 11.: ergo ego digestos potui laniare capillos. *Ornatus* autem pluralis numerus positus est, quia ornandae comae magna erat varietas. Ovid Amor. III. 125.: non sint sine lege capilli nec genus ornatus unum est: et ibid. paullo infra v. 149.: nec mihi tot positus numero comprehendere fas est: adiicit ornatus proxima quaeque dies. conf. C. G. Jacob. Comment. de us. num. plur. p. 30., qui pluralem ad artificiosam capilli compositionem refert. — v. 64. Heynius Dousae coniecturam *quoi* scripturae *quo* anteposuit, idemque fecit Huschkius, nisi quod scripsit *cui*. Atqui *alicui plorare, flere* est einem etwas vorweinen: *aliquo autem irato flere* valet flere, si quis iratus sit i. e. weinen, wenn einer zürnt: id ipsum hoc loco poeta dicit, ut ex addito verbo potest (de quo vid. Dissen. ad h. l.) facile cognoscitur. Iure igitur Lachmannus, Dissenius, Gruppius vulgatam *quo* tuentur. — v. 68. Pro *perfluat* in aliis libris legitur *praefluat* aut *profluat*: quae varietas compendio scripturae nata est. Heinsius *perpluat* coniecit: id receperunt Broukhusius, Vulpus, Heynius. At, nisi me omnia fallunt, non sicut coenaculum aut tigna perpluunt, etiam sinus perpluit pomis; quippe enim non *per sinum*, sed *e sinu* poma decidunt

*Praefluat* autem prorsus ineptum est: *profluat* ad sinum vix quadrat. Huschkius recte quidem scripturam *perfluat* tenet, sed in ea explicanda haud scio an erraverit. Locis certe, quos attulit, id, quod probari vult, non efficit. Apud Ciceronem de Fin. II. 35. haud dubie legendum est *perfruens*. Dissenius tamen Huschkium secutus item interpretatur: *abundat*: intelligi enim sinum, qui copiam pomorum non capiat. Gruppius quoque vertit »und es fliesse sein Schooss über von reichlicher Frucht«. A sententia sane haec interpretatio non discrepat: sed vox *perfluat* parum accurate explicata est: Latine dicitur, tellus, os, membra unguine, tabo, cruore fluunt pro e tellure, ore, membris unguen, tabum, cruor fluit. Ita Appulei. Metam. I. p. 47. dixit: sudore frigido miser perfluo et libro secundo p. 166. *sudore diffluens* (v. scr. *defluens*, sed vid. annot. Oudendorp.), quorum alterum est: ich triebe ganz und gar vel am ganzen Leibe vom kalten Schweisse: alterum in Schweiss zerfliessend: quae locutio aliis quoque scriptoribus usurpata est: ad quem usum loquendi si hoc loco scriptum esset *perfluat*, explicandum illud foret: *ex sinu poma perfluant*: quod, cum poma neque uno velut tenore e sinu delabantur neque omnino a Pace sinu excutiantur, non video quemadmodum cum re congruat. Iam vero constat, laxiores vestes a veteribus *fluentes* dictas esse, velut Virgil. Aen. I. 319. *sinus fluentes* et Appulei. Metam. XI. p. 759., quem locum Huschkius attulit, *ambitus pallae perfluebat*. Itaque *perfluat et pomis candidus ante sinus* explico: und es bausche vom Obste ganz (*per* est enim durch und durch) nach vorne hin der schimmernde Busen vel quod idem est: er hänge vom Obste (sc. onustus, refertus) ganz nach vorne herunter.

LIB. II. Eleg. I. v. 1. *Quisquis adest, valeat*. Haec est vulgata: ab ea stant Lachmannus et Gruppius. Atque precabantur veteres in his sacris, ut deus non pecora solum salva servaret, sed patri quoque familias, domui et familiae salutem et valetudinem daret (conf. Cato de re rustic. c. 141.). Vox tamen *valeat* statim in exordio carminis posita, prius quam deus invocatus esset, viris doctis offensionem erat. quapropter Scaliger *faveat* legendum censet. Sic enim veteres sacris faciendis praefatos esse; Doussa autem filius scribi maluit *quisquis ades, faveas*. huic Heynius et Huschkius assensi sunt, illi suffragatus est Dissenius. Ego quominus Scaligero consentiam, hoc uno prohibeor, quod non memini me legere *fave* in illa sacrorum praefatione nuda positum: ubique enim, quod ego sciam, additur *lingua* seu *linguis* aut *ore* aut etiam *animis* (conf. interpret. ad Horat. C. III. 1, 2.). Quae infra leguntur (II. c. 5, 1.): *Phoebe fave* his non magis, conferri possunt, quam verba Ovidii (Metam. III. 613.): *quisquis es, o faveas*. Nam commode Di et viri potentiores dicuntur *favere*. Omnino si verteris: Jedem der Anwesenden Heil und Wohlsein, non erit, quod optes. — v. 2. *priscus avus*. priscus non aetatem spectat, sed mores. conf. Catull. C. 168. v. 159.: *priscus parens*. — v. 6. *suspensio vomere*. conf. Virgil. Eclog. II. 66. *aratra iugo referunt suspensa iuveni*. Horat. Epod. II. 63.: *vomerem inversum boves collo trahentes*. — v. 7. *solvite vincla iugis*. Ex his verbis Vossius sollerter coniecit, sacrum non mane factum esse. Atque si verba *solvite vincla iugis* valent *demite tauris iuga*, haud dubium est, quin hic dies festus in intercisis fuerit. Equidem ut Vossio consentiam, imprimis verbis adducor, quae in

extremo carmine leguntur: Ludite! iam Nox iungit equos, currumque cet. — v. 9. *Omnia sint operata deo*. Cum poeta Bacchum modo et Cererem invocaverit, licet mirari, hoc loco *deo* positum esse. Dissenius docet id factum esse, quod singularis numerus interdum gravior sit et magnificentior, quam pluralis. At haec ratio dubia est et saepe etiam fallax: melius igitur Heynius, qui *deo* indefinite pro *numini divino* dictum monet. Quid? *dīs*, quod Vulpus scribi voluit, ne potuit quidem poni: nam non omnibus, sed his ipsis dis, Cereri et Baccho, Tibullus sacra facturus erat. Atqui totius loci summa eo spectat, ut homines ab omni negotio avocentur. Satis ergo erat dixisse *deo*, quo nomine cum *res divina* significetur, id ipsum *operi* opponitur. — v. 11. *Vos quoque abesse procul iubeo, discedat ab aris, cui tulit cet.* Varia scriptura est *discedite* et *discedere*; *quis (queis)*, *cui (quoi)*. *Discedite* Muretus, Heynius, Huschkus; *discedat* Lachmannus, Dissenius, Gruppius dederunt. Potuisse *discedite* aut *discedere, quis* vel *cui* scribi, nemo neget: sed multo est probabilius, scriptum esse a Tibullo *discedat*. Haec enallage numeri nata est cum brevitate loquendi, tum sensu quodam humanitatis, quo ducti veteres, quicquid erat vitii in iis, qui ipsis curae essent, sublevabant. Itaque poeta dicturus *iubeo vos procul esse, qui tale quid commiseritis*, ne huius suspicionis labe plures aut omnes aspergantur, spem interponit, neminem fore, qui aliquid admiserit: tum vero religionis causa addit: sin quis erit, discedat. Haec ego explicandae rei gratia pluribus exposui: poeta multo brevius dixit. — v. 14. Broukhusium, cui placuit scribi *puri fontis*, Heynius facili negotio repulsavit. — v. 18. Huschkus ut doceret, deos averruncos dici *pellere* aut *depellere*, non *tollere mala*, eruditionis copias depromsit: quibus fruimur ac gaudemus, sed quorsus eas profudit? Nempe ut scripturam unius libri *tollite* convelleret, quae sane tam inepta est, ut ne imprudentissimo quidem possit probari. Fieri enim certe nequit, ut quid de loco, in quo non versatum fuerit quemve non teneat, tollatur. Atqui isti homines precantur, ne se suasque res quidquam mali invadat. — v. 19. *fallaces herbas* compares cum Virgilii *vanis aristas* (Georg. I. 111) aut Horatii *fundo mendace* (C. III. 1, 30.): hic spes aratoris non explet: illae specie inani expectationem messorum illudunt. In versu sequenti Wunderlichus *tardiorum agnam* ait imbecilliorum esse ceteris sive quae ceteras celeritate non aequiparet. Intellego. nam si ne tardiori quidem agnae lupus timendus erit, multo minus ceteris nocebit. ergo totus grex a vastatione luporum liber ac tutus erit. Idem sentit Dissenius. Ego intelligi malim agnam, quae *intenta pascuis* tardius gregem secuta sit (das sich verspätet hat): aut, si *agna* vi collectiva dictum est, attributum *tardior* celeritati luporum oppositum puto, ita ut sonet, tardior, quam quae insectantes lupos possit effugere. Etiam apud Phaedrum fab. I. 16. v. 7. ovis se tardam fatetur esse. De re confer Ovid. Art. am. I. 118.: ut fugit invisos agna novella lupos. Horat. C. I. 17, 18. nec metuunt. Martiales haeduleae lupos. Scriptura *segnior* inepta est: nam animal natura infirmum ac pavidum qui possit *segne* vocari? — v. 21. *plenis agris* alii explicaverunt *semente facta quasi gravidis*: alii haec sacra post messem celebrata rati pro *agris* coniecerunt *areis*, ut Scaliger, aut *horreis*, ut Heinsius et Guetus. Has coniecturas utpote ab elegantissimi carminis numeris prorsus alienas aversatus Heynius modo messem factam

modo segetem maturam vel etiam demessam, sed ut aresceret, in agris relictam intelligi voluit. Vere viderat Heynius, sed quae est saepe eius inconstantia, huc illuc fluctuavit. Peracta messe agros plenos nec esse nec dici posse, manifestum est: quamobrem Wunderlichio et Dissenio consentio, qui statuunt, haec sacra facta esse non *post messem*, sed *ante messem*. Nitidus denique non vestem solam spectat, sed totum habitum vultumque, qualis solet hominum esse festo tempore et in laetitia. — v. 22. *Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni, Ludet et ex virgis extruet ante casas*. Horat. Epod. II. 65.: positosque vernas ditis examen domus circum renidentes lares. Conf. omnino Heynii annotat. ad h. l. eruditissimam. Propert. II. 29, 3.: obvia nescio quot pueri mihi turba minuta Venerat. *extruet ex virgis*: intelligitur, materiem ad extruendas casas virgas praebuisse (conf. Hand ad Tursell. de partic. Tom. II. p. 634.). *Ante* adverbium esse, res ipsa docet: valet davor, vornehin, ita paullo infra *ante vias*. Quin *ante* germana scriptura sit, dubitari nequit: *arte* prorsus ineptum est. *Ludet* graece sonat *παίξεται* neque *ludet* et *extruet* per *ἐν δὴ δὸν* explicanda sunt, ut recte vidit Dissenius. — v. 25. *viden' ut*. Plures alloquitur, sed de his singulos: idem fit verbo *inquit* et graeco *ἀγρ*. *Viden' ut* cum indicativo iunctum admirantis est magis, quam interrogantis: si coniunctivus ponitur, res ad sensum ac iudicium alterius revocatur: illud usu vulgaris sermonis defenditur, hoc cum grammaticae praeceptis concinit. alterum sonat: wie deutet er an, siehst du's!, alterum siehst du, wie er andeutet. Conf. Haas. ad Reisig. institut. gramm. § 329. annot. 504. et Theod. Schmidt ad Horat. Epist. I. 1, 91. Itaque non est, cur miremur cum Huschkio, quod non scriptum sit *significat*. Ceterum vid. Dissen. ad h. l. — v. 27 sq. *Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos Consulis et Chio solvite vincla cados*. Scaliger dedit: *nunc mihi, nunc fumos* — *Falernos*: cuius scripturae tamen ipsum postea poenituit. Nam et geminatio vocis *nunc* plane inutilis est, et putide dictum *proferte fumos Falernos*. Etenim amphora quidem, ut vinum mitescat, *fumum bibere instituitur* (conf. Horat. Carm. III. 8, 11.), unde *cadis* Ovidio *fumosi* appellantur (Fast. V. 517.): sed quis unquam hominum biberit fumos Falernos seu Massicos? Itaque Scaligero postmodum Statii emendatio *fumosum* — *Falernum* probata est. *famosos* opinor non tam oculorum, quam iudicii errore satum esse: quae vox raro in bonam, plerumque in malam partem accepta huic loco parum quadrat. Apud Horatium (C. III. 28, 8.) Messala Corvinus languidiora vina postulat. De re conf. Colum. I. 6, 20. Voss. ad Georg. II. p. 300. Offensioni erat masculinum *Falernos*: viderunt viri docti, nihil agere eos, qui Virgilii Tmolium aut Phanaeum conferrent: abhorrere enim hunc loquendi usum Graecorum proprium ab oratione Tibulliana. Itaque Heynius monuit, ex singulari *cado* repetendum esse accusativum pluralis numeri, cum quo *Falernos* iungeretur. Recte: nec audiendus est Huschkius, qui nisi legatur *Chiis* — *cadis*, id negat fieri posse. Consentaneum est, unum cadum Chii, Falerni autem plures cados proferri: hoc vinum est quidem praestantius, sed Italicum tamen; illud Graecum idque pretiosius. unusque eius cadus pluribus Falerni admixtus haud dubie ad depellendam Falerni austeritatem sufficiebat (Horat. Serm. I. 10, 24.). — v. 31. Quod Scaliger *»bene Messalae«* legi vult, id non necessarium est. Conf. Heyn. et Dissen. annotatt. ad h. l. Res notissima



est: vide interprett. ad Horat. III. C. 8, 13. et Ovid. Fast. III. 530. — *absentis*. Recte Heynius *Messalam* ait *absentem* dici: poetam enim ruri festum celebrasse, Messalam in urbe fuisse. — v. 33. *Celeber Messala triumphis*. Horatio satis erat Iovem *Giganteo* (C. III. 1, 7.), Asinium Pollionem *Dalmatico triumpho* (II. C. 1, 15.) *clarum* praedicasse. Tibullus summa exultans laetitia triumpho splendorem unius multiplicat. Ceterum confer. Jacob. de usu numeri plural. p. 16. — *intonsis avis gloria* dictum est, ut infra IV. 1.: *sed generis priscos contendis vincere honores*. — v. 38. *desuevit* Broukhusius restituit ex libris. Varia scriptura est *destituit*: quam scripturae discrepantiam miratus in eam opinionem incidi, ut putarem *destituit* vel *destituit* ex *destitit* errore oculorum aut imprudentia natum esse: id autem aut adscriptum fuisse voci *desuevit* aut depravatam esse ex *dedidicit*. Confundi enim interdum *dediscere* et *desistere*, constat. Nec ineptum foret *dedidicit*, velut apud Horatium virtus populum falsis nominibus uti dedocet (C. II. 2, 20.). Potior tamen est scriptura *desuevit* propterea, quia *magistri*, quos poeta dicit, non ad scientiam homines, sed ad mores ac vitae cultum conformarunt. — *quernas glandes*. Ovidius, ubi de aurea aetate loquitur, homines, inquit, legabant, quae deciderant patula Iovis arbore glandes: alioque loco hoc ipsum munus Cereri ac Terrae mandat, *consortibus operum, per quas correcta vetustas quernaque glans victa est utiliore cibo* (Fast. I. 676.). — *pellere glande famem*: totidem fere verbis idem dixit Ovid. Metam. XIV. 216. In versu sequente Broukhusius ex paucis libris reposuit *casam*: sed vel uno Horatii loco (C. III. 1, 20.), quem locum attulit Heynius, fides vulgatae scripturae confirmatur. — v. 41. *primi* haud dubie anteponendum est alteri scripturae *primum*: at in superiore versu, in quo eadem, quae hoc ipso loco, ratio obtineatur, *primum* scriptum est. Praecipua utriusque dei laus in utroque loco est inventio earum rerum, quibus homines a fera vita ad mitiorem cultum traducti sunt. Ergo *primi* docuerunt *casas exstruere*, *primi* iidem *tauros aratro iungere et plaustra rotis imponere*. Utroque igitur in loco quin *primi* scribi potuerit, dubium non est. Sed apparet, altero loco, cum sequatur verbum finitum *docuere*, potuisse poni *primum*: altero autem cum haec ipsa vox non ad infinitivum *docuisse*, sed ad verbum *feruntur* revocanda esset, scribendum fuisse *primi* potius, quam *primum*. Pro *docuisse servitium* Gebhardus, Vossius, Bachius legi iusserunt *domuisse servitio*: at *docuisse servitium* valet *domuisse*: quod si scriptum esset, vox *servitio* prope foret supervacanea. De suavitate repetitae vocis *docere* dixit Dissenius. ordo autem verborum hoc modo expediendus est: illi etiam *primi* et *tauros servitium docuisse et plastro rotam supposuisse* feruntur. iam omnia plana sunt. nemo certe tam imprudens et inconsideratus erit, ut *tauros* aut *docuisse* iungat cum *supposuisse*. — v. 43. *tunc consita pomus*. Exc. Lips. *insita pomus*: nec dubitarunt ita legere Broukhusius, Vulpus, Vossius. Sed recte vidit Heynius, non de insitione, sed de satione poetam loqui. Scribendum igitur *consita*. — *irriguas aquas*. Virgil. Georg. II. 485.: *rigui amnes*. ib. IV. 34. *irriguum fontem*. Horat. C. I. 7, 14. *uda mobilibus pomaria rivis*. — v. 45. *pressos liquores*. Horat. Epod. 13, 6. *vina Torquato consule pressa meo*. Virg. Georg. IV. 140. *pressis favis*. Ovid. Trist. IV. 6, 20. *nudo pressa uva pede*. Colum. de r. r. XII. 13, 1. *prelo uvas premere*. Ovid.

Fast. 152. expressi favi. Verbo simplici fere poetae utuntur, uti nostrates »gepresst«. — v. 46. *seculo mero*: simili modo Horatius Massicum obliuiosum vocat (C. II. 7, 21.) Dionysius enim λυσσιμέριμος. Vinum animum omni cura et sollicitudine solvit et cornua addit pauperi, ut praeclare Horat. III. 21, 18. *Sobria* autem mihi in mentem revocat alium locum eiusdem poetae, qui, ubi insanire non vult, puerum iubet pocula ardentis Falerni praetereunte lympha restinguere (II. C. II, 20.). Pariter hoc loco *sobria unda* salubre est temperamentum *meri securi*: quippe enim ista securitas non procul abest a levitate et confidentia. — v. 48. *annua terra* dictum est, ut apud Propert. IV. 8, 8. *annua pabula*. Id nihil novi habet: magis mireris epitheton *verno* cum *alveo* iunctum: quod Gebhardum et Vossium ita offendit, ut cum *rure* illud iungerent. At vocis *rus* et hic et infra geminatae tanta vis est, ut epitheto ornanti omnino nullus locus sit. Melius multo Fruterius, qui *vernos* legendum censuit: quae viri docti opinio et facilitate emendationis et magno locorum numero, in quibus *vernus* cum flore aut alio id genus vocabulo iunctum est, commendari videtur. confer. Horat. I. 4, 10. Propert. III. 5, 22. Ovid. Metam. V. 551. Senec. Hippolyt. I. 12. Valer. Flacc. III. 403.: quibus locis multos et alios facile addideris. Nec verbis, quae paullo infra leguntur, *verno de flore*, quicquid dicit Dissenius, Fruterii opinio confutatur: est aliud, quo refellatur. Si caput totius loci id esset, ut verni temporis amoenitas describeretur, necessario legendum esset *vernos flores*. at poeta, sicuti supra de messe, sic hoc loco de mellificatione loquitur. apes autem, ut pridem Broukhusius et Heynius monuerunt, in Italia quidem ab ipso aequinoctio verno mellificare coeperunt. Itaque summa totius loci in exponendis commodis et utilitatibus rei rusticae versatur atque verbis *in alveum ingerunt flores* sententia subest: *verno tempore apes mel colligunt ac parant*: itaque cum hic prope nihil referat, quae sit materies, ex qua apes mel colligant; non *flores*, sed *id*, quod verno tempore melle completur, epitheto id ipsum tempus significante ornandum erat. Poeta autem suo iure dixit *vernus alveus melle completur* pro *alveus melle completur verno tempore*. Adde, si vis, quod Dissenius monuit, alium vere, alium hieme et aestate alvei statum fuisse: nec iam dubites, quin *alveus* ipse *vernus* dici potuerit. Enallage epitheti, qualem saepe a poetis usurpatam volunt (conf. Obbar. in ephem. scholast. 1832 No. 150. Forbig. ad Virgil. Eclog. IX. 58.), hoc quidem loco nulla est. — *flores*. praeter locum ab Heynio allatum (Virgil. Georg. IV. 54.) adde Ovid. Metam. XIII. 928.: non apis inde tulit collectos sedulo flores. Lucret. III. 11.: floriferis ut apes in saltibus omnia libant. — v. 51. *Agricola assiduo ... satiatus aratro*. Pro *satiatus* in duobus Broukhusii libris scriptum reperitur *defessus*: Scaliger autem coniecit *lassatus*. Recentiorum nemo melius, quam Dissenius, vim vocis *satiatus* explicavit. Complexus enim summam eorum, quae Heynius, Wunderlichius et Huschkius docte ac subtiliter ad hunc locum annotaverant, ipse egregie docuit, nihil in usu huius vocis a Tibullo novatum esse: aratrum enim non invisum, sed gratum et acceptum esse agricolis: qua de causa cecinisse Virgilium, *huc omnis aratri cessit amor*. Esse igitur *aratro satiatus* »nachdem er satt sich gepflügt«. Quae quam vere sint dicta, et ex iis, quae paullo infra leguntur (v. 55.) et ex loco Homérico huius simillimo (II. XI. 85.) cognoscitur. — v. 53. Pro

*modulatus* Vulpio placuit *meditatus*. At poeta de ipsis modis (Melodien), qui fistula canendi erant, loquitur: ergo recte se habet scriptura *modulatus*. *Ornatos* Huschkius explicat *laudatos* sive *honoratos* idque per prolepsin dictum esse affirmat. Sed neque expedit hanc interpretandi rationem et quibus armis ceteros interpretes petivit, ea facili negotio retunduntur. Ipsis enim verbis *ut diceret ante deos*, quale id carmen sit, apparet: deinde quod infra puer deos sertis coronans commemoratur, id multum abest ut Huschkii caussam sustentet. Ille enim locus ad id ipsum, quod dii a puero coronantur, totus refertur: his vero verbis pars continetur eius imaginis, cuius summa cernitur in pietate, qua agricola commotus modos, quibus deos celebraturus est, multo ante meditatur. Epitheton autem *ornatos* additum est iccirco, ut appareat, festo die id carmen dici, cui modulando profestis diebus agricola operam dederit. Nec vero coronas solum seu sarta puto voce *ornatos* indicari, sed alia etiam ornamenta, quin totum habitum signorum, quae fumo et squallore purgata niteant (conf. Horat. III. 6, 4). Verte igitur aufgeschmückt, geputzt. — v. 57. *Huic datus a pleno, memorabile munus ovili Dux pecoris hircus auxerat hircus oves*. Quod munus Horatius ad Pison. v. 220. *vile*, Tibullus *memorable* dicit, sive et ipse credidit, ab hoc praemio tragoediam nomen accepisse, sive, quae est Dissenii opinio, intelligi voluit, id munus tum apud hos homines in magno honore ac pretio fuisse. Versum pentametrum et a metro et a sententia laborantem viri docti depravatam aut subditivum habuerunt. Muretus et Scaliger pro *auxerat* reposuerunt *duxerat*: quod mihi quidem, cum modo dictum sit *dux pecoris*, displicet nec quidquam praesidii huic coniecturae est in illis Propertii verbis (III. 13, 40.) Corniger — *Dux aries saturas ipse reduxit oves*. Waardenburgius (vid. Huschk. ad h. l.) coniecit: *dux pecoris curtas auxerat hircus oves*: sed vereor, ne iniquo loco positum sit *hircus*. Heinsius denique opinatus est legendum esse: *dux pecoris: hirtas duxerat hircus oves*. *hirtas oves* nihil offendit: idem legitur apud Varronem de r. r. II. 11, 7. atque *ovile* viri docti hoc loco esse caprarum stabulum monent: sed *duxerat* mihi non probatur atque ut Heinsii coniectura uni vitio medeatur, totum certe locum non sanat. Equidem olim conieceram: *Huic datus ... ovili Dux pecoris hircus luserat inter oves* (vid. Ovid. Metam. VII. 311.): de verbi *ludere* significatione conf. Catull. VI. 211. Horat. C. II. 5, 7. At manifestum est, praeter verba *dux pecoris* in hoc versu nihil esse, quod non suspectum sit. Vox *hircus* quin male geminata sit, non est dubium. Alterutrum locum obtineat. conf. Virgil. Eclog. VII. 6.: *Vir gregis ipse caper*. Ultima syllaba vocis *pecoris* producta excusationem habet: cetera leniori medicina restitui vix possunt. Quid Tibullus scripserit, quis divinet? ne illud quidem pro certo dici potest, num *datus* perfecti tertia persona, an participium sit. Fortasse duo haec disticha ita inter se apta et connexa erant, ut quae alterius distichi pentametro sententia esset explicata, referretur ad vocativum *Bacche* hoc modo: *Huic datus a pleno memorabile munus ovili Dux pecoris hircus mox cadit ipse tibi*. Verum quid iuvat hariolari? — v. 65. *textrix operata Minervae*. In plerisque libris legitur *assidue textrix operata Minervam cantat*. Broukhusii *Minervae* in paucis libris legitur. Fruterius et Guietus *textis* coniecerunt. *Textis* num ablativus an dativus sit, Heynius incertus est. Idem dubitat, num scriptura *assidue textrix operata Minervam*

*Cantat* mutanda fuerit. At vero et adverbium et *operata* nude positum non admodum placent: nec dubium esse potest, quin recte legatur: assiduae textrix operata Minervae. Est enim Minerva hoc loco positum pro ipso telae artificio, cui perficiendo textrix ista operam dat. conf. Virgil. Aen. VIII. 409. Ovid. Met. IV. 33. — v. 66. *et applauso tela sonat latere*. Quae est paucorum librorum scriptura *appulso*, nemo erit qui eam anteponat vulgatae: sed Mureti vestigia secutus malim legi: *a plauso tela sonat latere*. — v. 67 sq. Praepositionem in enumerandis rebus saepe a poetis bis terve eandem poni, viri docti pridem docuerunt. Confer. Thilium ad Virgil. Aen. II. 365. et Forbig. ad Virg. Aen. l. IX. 556. Hoc loco *inter* »mitten unter« ter repetitum succurrit exilitati enumerationis. Magnam vim aut etiam elegantiam inesse in praepositione ter repetita non sentio: si esset geminata, rei consultum foret. — v. 88. *lascivo sidera choro*. *Chorus siderum* num apud ullum scriptorem *lascivus* vocatus sit, nescio: sed lascivientibus omnia, etiam ea, quae alias magna et venerabilia et sunt et habentur, lascivunt, sicut saltantibus circumagi cetera et moveri videntur. Itaque hoc loco lascivientibus siderum chori lascivunt ipsi. Ex loco Ovidiano, quem attulit Heynius (III. Met. 685.), quid tandem discimus? nempe delphinos, qui lascivi solent esse, lasciva corpora iactare: nec dubium est, quin omnes omnium laetorum et lascivorum hominum et animalium motus saltationesque hoc epitheto insigniri possint. — v. 89. *fulvis circumdatus alis*. Pro *fulvis* Broukhusius scripsit *fuscis*, ut legitur III. 4, 55.; Heinsius *furvis*, quod Heynio probatur. Scriptura *fulvis*, cum in versu proxime superiore sidera dicta sint fulva i. e. corusca seu rutilantia, inficeta et insulsa est. Causa mendi a librariis illati manifesta est. Quae nocte aut tenebris nascuntur, ea si alata finguntur, alis nigris seu fuscis instruenda sunt. Nec de caelo, ut apud Virgil. V. 838., hic Somnus delabitur. Recte igitur Heynius, Huschkius, Dissenius ab Italis steterunt. — *tacitus*: conf. Ovid. Metam. XI. 650.: ille volat nullos strepitus facientibus alis Per tenebras. Sil. Italic. X. 354.: per tacitum allapsus. — *nigra somnia*. Heinsio placuit *pigra*. Broukhusius cum in uno libro *mera* invenisset, coniecit *vara*, quod conveniret *incerto pedi*. At vere vidit Heynius, tum *valga*, non *vara* fuisse scribendum. Huschkius e varia scriptura delegit *vana*. Atque *vana* et dici possunt et dicta sunt somnia. At vellem obtemperasset Heynio, qui monuerat, elegorum esse, epitheton, quod rei esset proprium, repetere: itaque cum *niger somnus* dictus esset, *somnia* quoque *nigra* fuisse dicenda. Confirmatur praeterea aliqua saltem ex parte scriptura *nigra* Euripideo illo *μελανοπτερόωνν δνειρωνν*. Omnem autem dubitationem tollunt Ovidii verba (Fast. IV. 662.): nox venit et secum somnia nigra trahit.

Eleg. II. v. 1. Distinguendum est ita, ut voces *Natalis venit* iungantur cum verbis *ad aras*. Haec distinguendi ratio locis, quos viri docti et ex aliis scriptoribus et ex Tibullo attulerunt, satis firmatur. Constat enim, haud raro ipsos deos sacris suis adfuisse. — v. 4. Cum *odores* in ipsa Arabia nascantur, scriptura *e terra* mihi magis, quam altera *a terra* probatur. — *tener* Arabs dicitur, qui Catullo, Virgilio, Claudiano, aliis poetis *mollis* vocatur. Est autem *tener* hoc loco Schwächling, quod quam prope ad vim vocis *mollis* i. e. Weichling accedat, manifestum est. Ceterum de fertilitate

terrae et odoribus in ea nascentibus conf. Plin. hist. nat. VI. 32. ad extr. et Dionys. Perieges. 936 sqq. — v. 5. Productam syllabam in tertii pedis caesura defendit Huschkius: cui non adversatur Dissenius: is tamen miratur, cur Tibullus, cum plus ponderis sit in verbis *ipse — adsit*, non scripserit *Ipse suos adsit Genius visurus honores*. Mihi, ut vox *Genius* ante verbum *adsit* collocaretur, pronomina *ipse suos* videntur postulasse: haec necessario excipi debebant nomine *Genius*: traiecit id nomen, et statim senties, quam illud non vigeat, quam sit delumbe. — v. 6. *mollia sarta*. Alteram scripturam *florea* Dissenius potioem ducit, contra, quam Muretus, qui *mollia* revocavit: uterque causam suam eo qui supra legitur loco (I. 7, 53.) tuetur. Ac probum quidem utrumque est: sed magis mihi hoc loco placet *mollia*. haec enim sertorum sanctis comis impositorum praecipua virtus. Virgil. Aen. VII. 485. Ovid. Fast. II. 340. (habent unctae mollia sarta comae). Accedit, quod *sarta* etiam nullo epitheto addito *florea* esse nemo non intelligit. Denique confer molles thyrsos Bacchi (Virgil. Aen. VII. 390.) et res acta erit. — v. 10. *annuet ille*. Recte Huschkius, Lachmannus et Dissenius restituerunt scripturam *annuit*. Iam enim apparet, deum propitium esse facturumque, quodcumque Cerinthus rogaverit. Quod cum ita sit, praesens aptius est, quam futurum. — v. 11 sq. *uxoris fidos optabis amores: iam reor hoc ipsos edidicisse deos*. Toties igitur has preces iuvenis diis adhibuerat, ut hi ipsi vota eius edidicissent. Haec plana sunt. Sed vox *uxor* magnas inter viros doctos dissensiones commovit: quorum alii, ut Broukhusius, Vulpus, Heynius, *uxorem* intellexerunt *futuram*: quae vocis significatio usu et auctoritate aliorum poetarum affatim probatur (conf. Propert. I. 2, 19. et quos locos attulerunt Broukh. et Dissenius): alii contra, ut Vossius, Dissenius, Gruppius (l. l. p. 62.), Jacob (de usu num. plur. p. 10.) *uxorem* vi propria dictum opinati sunt. Equidem quamquam nec nego, Vossium rationibus ad firmandam suam sententiam usum esse non contemnendis, et tot virorum ornatissimorum consensu flector, persuadere tamen mihi non possum, Cerinthum, cum haec vota faceret, maritum fuisse Sulpiciae. Etenim haec vota magnum quidem Cerinthi in coniugem amorem ostentassent, sed simul suspensiones intulissent uxoria fide prorsus indignas: quod mihi ab admirabili totius loci mollitudine abhorrere videtur. Nec me adducunt, ut aliter sentiam, verba illa, quae puella (l. IV. c. 10.) acerbo falsae suspicionis dolore concitata iactavit. Verum ut dissensiones virorum doctorum quodammodo saltem componantur, iuvat rem ita expedire. Poeta natalem amici celebraturus, quo est in eum animo affectus, optat et fingit, hoc ipso die fore, ut Cerinthus, quod toties ardentissime concupiverit, certo ac stabili coniugio puellam accipiat. sed haec hactenus: dicam enim de hac re alio loco. — v. 14. Fere eadem Horat. C. II. 12, 21.: Num tu, quae tenuit Achaemenes aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes cet. et Ovid. Metam. VII. 59. quemque ego cum rebus, quas totus possidet orbis, Aesoniden mutasse velim. — v. 17. *Vota cadunt*. Notum est, *cadere* saepe eventum seu exitum bonum malumve significare. Inde apud Propert. I. 17, 4. *vota cadentia sunt incassum facta*. Quapropter nisi verbo *cadere* voces *bene male, secus*, aliae id genus adiectae sunt, ex ipsa re, de qua sermo est, colligi debet, qualis eventus sit. Aliquid autem puto discriminis esse inter praesens et perfectum,

nec idem sonat *res cecidit* et *res cadit*: alterum videlicet valet: die Sache kommt zur Entscheidung: alterum die Sache ist entschieden. Itaque hoc loco si qui verba *vota cadunt* explicant *ad eventum perducta sunt* (velut Gruppianus l. l. 43. Euer Gelübdt' ist erfüllt. et pag. 63.), ipsi viderint, quo iure id faciant. Si *vota ceciderunt* i. e. si Sulpicia iam uxor Cerinthi est, nonne ineptum est optare, ut *amor flava coniugio vincula portet* sive ut matrimonio illa cum iuvene iungatur? Nuptiarum enim laetitiam croceis istis vinculis designari, apparet (conf. Plin. h. n. XXI. 22. extrem. et vet. enarrator Iuven. Sat. VI. v. 225.). Hunc igitur scopulum ut viri docti devitarent, plerique coniecturam Gujeti et Heinsii videntur ut (conf. II. I, 25.) certatim amplexi sunt, non modo Vossius et Dissenius, sed etiam Broukhusius, Heynius et Huschkus. Vulgata tamen propugnatores nacta est gravissimos Wunderlichium et Lachmannum. Heynius *utinam* paucis reiicit: Dissenius acrius instans requiri ait rationem, unde concludat poeta, rata fore vota: quod si *utinam* legeretur, repente ac praeter expectationem novum votum fieri. esse etiam ieiune dictum: *utinam strepitantibus alis advolet Amor*. Gruppianus artificio interpretandi difficultatem quodammodo delusit. Equidem in voce *utinam* non haesi: quippe enim, poeta paullo ante deum fecerat annuentem: adhortatus erat iuvenem, ut rogaret: scire se dixerat, quae Cerinthus vota animo agitaret: velle nimirum matrimonio cum puella iungi: his dictis subito addit: *Vota cadunt* i. e. hoc ipso die natali vota ad exitum perducuntur (ietzt kommen sie zur Entscheidung): quidni apte illa adiungantur: *utinam Amor advolet strepitantibus alis portetque flava coniugio vincula*, sive demto orationis ornatu: *utinam hoc die Sulpiciam uxorem ducas*. Nam incerti amores pleni sunt suspicionum et curarum. at felices ter et amplius, ut Horatius dicit (I. C. 13, 17.), quos irrupta tenet copula nec malis divulsus querimoniis suprema citius solvet amor die. Coniectura Italorum *trepidantibus*, cui Broukhusius et Huschkus applauserunt, dubitanter accessit Heynius, mihi vehementer displicet, quamquam non ignoro et apud Ovidium (Metam. I. 506.) prope eadem verba legi et voce *trepidare* saepe agilitatem vel festinationem celeremque motum significari (vid. Gronov. ad Liv. XVII. 1.) atque Genium seu Natalem parvum deum fuisse (vid. Broukh. ad h. l.): verum qui loci ad tuendam illam scripturam proferuntur, eos si paullo diligentius examinaueris, facile intelliges, nihil ad hunc locum pertinere. Hic ipse alarum strepitus, quem amor advolans edit, augurium est laetissimum. Celeritatis autem vis, nisi fallor, ipsis verbis *strepitantibus alis advolare* expressa est. — v. 21 et 22. *Hic veniat Natalis avis prolemque ministret, Ludat et ante tuos turba novella pedes*. Scriptura variat. pro *hic* legitur in aliis libris *huc* aut *haec* et pro *veniat* etiam *veniet*. Nicolaus Heinsius de coniectura dedit: *huc venias Natalis avi ..... ministres*, eique consentiant Heynius, Huschkus, Dissenius, sed ita, ut *veniat* — et *ministret* conservent. Qui scripturam *hic* germanam duxerunt, explicant: iam prole parata, cum aetate ita proveci eritis, ut avi appellemini, hic natalis vobis redeat. At *veniat* ipsum non valet *redeat*. Frustra Heynius affert Tibull. I. 7, 64.: (candidior *semper* candidiorque veni) et Ovid. V. Trist. 5, 14. (opto, candidus huc venias): quorum locorum similitudo sane exigua est. Deinde mire dictum foret: hic Amor signa certi matrimonii *avis* afferens veniat prolem-

que ministret: quod ὑστερον πρότερον iure reprehendit Dissenius. Adici etiam debet pronomen *vobis*. Quod si *avi* hoc loco essent Grosseltern, interpungendum saltem esset: Hic veniat Natalis, avis prolemque ministret. *avos* autem intelligerem parentes Sulpiciae et Cerinthi. Etenim ex carminibus sexto et octavo libri quarti colligi potest, hoc coniugium aversatos fuisse parentes, matrem certe Sulpiciae. Inde non absurdum foret coniecere, *avorum* mentionem factam, ut spe prolis ex hoc matrimonio futurae animi parentum conciliarentur, parentesque Sulpiciae quidem prius, quam ipsum Cerinthum, pietatis causa commemoratos esse. Verum enim vero tota haec interpretandi ratio mihi displicet. Postquam poeta optavit, Amorem strepitantibus alis advolantem crocea afferre vincula, consentaneum erat addere, *hoc sit augurium, quod tibi natali die detur*. Constat, *avem* saepe poni pro augurio, praesertim in nuptiis celebrandis, in quibus aves consulebantur; unde Catull. 61, 20.: bona cum bona alite virgo. Vid. Loers. ad Ovid. Heroid. ep. II. 116. Itaque nihil sane excogitari possit, quod et ad verba, quae supra leguntur, *venit Natalis ad aras* et ad rem totiusque loci, de quo modo diximus, suavitatem tam appositum sit, quam id, quod Heinsius refinxit, *hac veniat Natalis avi*: quibus verbis aptissime adduntur illa: *ludat et ante tuos*, Cerinthum autem poeta dicit, *turba novella pedes*. Pro *et* maluit Heynius scribi *ut*, quod legitur in libro Ursini: suffragantur ei Huschkius et Dissenius. Ac Dissenius quidem, cum mutatum esset subiectum, copulam *et* duriolem, finalem particulam nervosiolem esse arbitratus est. Mihi particula *ut* sententiis more prosae orationis inter se iungendis aptior videtur esse, particula vero *et* i. e. *und so* orationis poeticae nitori magis accommodata.

Eleg. III. v. 3. *Ipsa Venus latos iam nunc migravit in agros*. His verbis Dissenius ait venum tempus sive mensem Aprilem indicari (conf. Ovid. Fast. IV. 125 sqq.). Atque sententiae inter se ita cohaerent: puella mea urbe relicta rus se contulit: iam enim ver adventavit. pro his poeta ornatus dixit: nunc ipsa iam Venus in agros migravit. Haec plana sunt. at illud iam difficilius est decernere, num *latos agros* legendum sit an *laetos*, quam veterum librorum scripturam Muretus enotavit. Nam quod infra v. 65. *agri tristes* appellantur, quis est tam tardus, quin causam intelligat, quamobrem agri reapse laeti ibi *tristes* vocentur? Nec opus est, ad Horatii verba (Epist. I. 10, 23.) provocare, ut planum fiat, scripturam *latos* ipsam per se probam esse: nemo enim neget, *agros*, ubi urbi quamvis amplae, moenibus tamen circumdatae opponantur, *latos* commode dici. Adde, quod Veneri choros verno tempore ducenti εὐχόμενοι ἄγροι grati et iucundi sunt. Apud Horat. C. III. 11, 9. Dacierii *laetis* probari nequit (conf. Fr. Lubker. ad h. l.). at I. 12, 57., cum magnitudo imperii maiestatem Augusti augeat, potius est *lato orbi*. Verum mollitiem huius loci decet dulcedo imaginis, quae nascitur epitheto *laetus*. Interpretatio Dissenii, qui *laetos* explicat *virentes*, non abhorret illa quidem a re et veritate, sed sensum poetae melius, nisi fallor, assequaris, si ita interpreteris, ut hanc ipsam herbescentem viriditatem elici dicas laetitia, qua Veneris adventu agri impleantur. — v. 5. *O ego cum aspicerem dominam*. Ita Lachmannus et Dissenius dederunt, auctoritate librorum permoti. Vulgata est *cum dominam adspicerem*: at plus ponderis est verbo *adspicerem*, quam voci *dominam*. Ecthlipsis *cum aspicerem* auribus ingrata non tanti

est, ut unius libri Broukhusiani scriptura *dum* alteri anteponatur, cum praesertim eadem particula et quidem alia significatione subsequatur: ad sententiam alterum ab altero haud multum differt: *dum adsp.* enim sonat, wenn ich nur erschaute: *cum adsp.* autem: wann ich anschauen könnte. Parendum igitur auctoritati librorum. — v. 6. *pingue solum* vinetum dici, apparet: nam *de arvo* paullo infra poeta loquitur. Quam temere Vossius *subigunt* in *subigant* mutaverit, facile videbis, si sententiam ita explanaris: ego sectarer aratrum, ut agricolae facere solent, dum — boves subigunt. Qua interpretatione multum abest ut enuntiatio, quae per coniunctionem *dum* copulata est, ab hypothetica sententia divellatur. Haec omnia et a verbo *sectarer* pendent, et vi eius conditionali quasi tinguntur. Iniuria igitur Dissenius Huschkio adversatur. De Vossii coniectura *curvus* iam a Dissenio refutata dicere supersedeo. *Curvum*, quo epitheto *aratri* nihil apud poetas frequentius est, hoc loco propter verbum subsequens *sectarer* commodissime positum est. *Steriles boves* (βοῦς στειρα Hom.  $\kappa$ . 522. v. 186.) viribus valent. Inde Virgil. Georg. I. 65. *Pingue solum fortes invertant tauri.* — v. 9. Huschkius reprehensis iis, qui scripsissent *quererer*, *quum* pro scriptura *quererer*, quod propugnavit: idque iure: sed quod negat, alterum latine dictum esse, fallitur. Quidni enim *queri* absolute poni possit? *Querere*; *quum* explicandum esset: ich würde Klage erheben, wann: alterum valet ich würde klagen, dass: haec constructio usitata est. Sed si alterum praestat, alterum non est, quod barbare dictum putetur. Pro *laederet et* in aliis libris legitur *laederet aut*: illud Lachmannus, Dissenius, Gruppius, hoc Heynius et Huschkius tuentur. Equidem scripturam *et* germanam duco, quippe quae et librorum auctoritate et re ipsa commendetur. Nec enim alterutrum, sed utrumque accidere solet aratoribus: quae igitur rei necessitate iuncta sunt, cogitationis arbitrio secerni non debent. — v. 11 sqq. *pavit et Admeti — quicquid erat medicae.* Haec ita explananda sunt. Apollo amore in Admetum captus se expedire nullo pacto poterat. Cum neque ars cithara canendi aut forma quidquam ei ad conciliandum Admeti animum prodesset nec illa, qua excellebat, mendendi peritia ad sanandum hoc vulnus valeret (conferat. Propert. II. 1, 59.) abiecto pudore deus praeses Musarum non veritus est ad servilem operam descendere, pascere greges Admeti, rusticari. — v. 15 sq. Locus est mutilus et corruptus: pentametrum subditivum esse, inter omnes constat: quae sententia fuerit, dispici potest, verba scriptoris restitui non possunt. Num de aequatione sermo fuerit, quae erat Aurispa opinio, admodum dubium est: nimium tribuit Aurispa simili loco Virgilii (Eclog. IX. 23.). Sed cum Tibullus versibus subsequentibus de inventione lactis coagulandi et casei conficiendi loquatur, multo est verisimilius, eo, qui intercidit, loco de mulctu aut de lactis fructu mentionem factam. In commemorandis istis rebus levioribus licet non mireris poetam immoratum esse: opponuntur enim maioribus illis muneribus, quibus Apollo prius, quam ad haec humilia rusticorum negotia operam contulisset, praeesse solitus erat: oratio tamen impeditissima totum hoc distichon suspectum reddit. Etenim infinitivus, nisi aut in pentametro aut, si plura exciderunt, in versu proxime superiore *dicitur* aut *fertur* positum fuisse statuas, non habet, unde aptus sit. Pentameter etiam numerorum vitio laborat: ad quod vitium tollendum Muretus emendavit *mixtis*, Lachmannus *mixtu*



*subriguisse*: quae vox qua auctoritate nitatur, nescio. Si quid in hoc versu complorato mutandum putarem, conicerem: Lacteus et mulctris obriguisse liquor (conf. Calpurn. Eclog. V. 65. III. 66.). At totius sententiae conformatio pessime neglecta ab omni emendandi conatu absterret. Ut enim particula *et hoc loco* valeat »und so fort«, quod tamen Dissenius merito aspernatur, qui possit infinitivus *obriguisse* ex eodem verbo *fertur* pendere? Quid tamen istuc? *fertur Apollo docuisse* — *et liquor obriguisse*? scribendum saltem erat: et tum primum obriguisse liquor. Tantam componendae orationis inscitiam nemo erit qui Tibullo dignam ducat. — v. 30 sqq. In his distichis Dissenius (vide proleg. p. 84 sq.) reprehendit anaphoram. mire enim res inter se dissimillimas componi, vitulum gestatum et carmina boum mugitu rupta, templa deserta et capillos neglectos. Equidem non invitus concedo, totius loci compositionem laborare: sed anaphorae usum puto quodammodo defendi posse. Atque de superioribus distichis, in quibus vox *quotiens* geminata est, res facili negotio conficitur. Demto enim orationis ornatu apparet hanc esse sententiam: Apollo *negotia pastoritia* (conf. I. 1, 29 sq.) *strenue obiit*, ita ut saepe et vitulos humeris gestaret et inter ipsa armenta carmina caneret. Utrumque valde abhorruit a persona eius dei, qui arcum fulgentem (vid. Hor. C. Saec. v. 32.) humero gestare et inter Iovis coenam lyra canere (Hor. C. I. 32, 16.) solitus erat. Quapropter quae his ipsis rebus contraria sunt, humilia dico pastoralis curae negotia, apte hoc loco componuntur. Multo ad explicandum difficilior est ratio anaphorae, quae est in subsequentibus distichis. Quid enim res iis explicatae simile aut commune habent? Dicam. Est dolor, quem neglectum ab Apolline et ingenii et corporis decus commovet. dolent enim ii, qui oraculum sciscitaturi desertum illud invenerunt et infecta re domum revertuntur: dolet etiam Latona, inornatum filii capillum conspicata. Atque utraque re, et vaticinandi arte et corporis forma, imprimis crinibus Apollo gloriatus est: quam gloriam Iuno apud Lucianum (Dial. deor. XVI.) ridet. Quod si scriptum esset in hunc modum: saepe doluit irrita turba ..... saepe doluit Latona, offensio anaphorae, quae Dissenio intolerabilis visa est, magna ex parte sublata foret. Restant alia, quae in disceptationem veniant, sed leviora. In versu namque quinto decimo Heynius et Huschkus tuentur scripturam plurimorum librorum *tunc*: Lachmannus vero, Dissenius, Gruppius alteram *tum*. Cum poeta inventionem harum rerum Apollini tribuat, mihi *tunc* magis, quam *tum* probatur: est enim fere *tum primum*. — Versu undevigesimo Heynius, Huschkus, Lachmannus, Dissenius ad unum omnes dederunt *dum*, repudiata altera scriptura, quae paucorum librorum est, *cum*. Recte quidem grammatici docent, *dum* plerumque indicativo verbi iungi: qua de caussa Huschkus operam dedit, ut usum coniunctivi hoc loco positi auctoritate aliorum scriptorum firmaret (adde Tac. ann. VI. 19. et conf. omnino Hand. ad Tursell. partic. Tom. II. p. 305 et 312 sq.). Res est manifesta. Dicitur *dum canit*, quod praesens persaepe est historicum quod vocatur; *dum canebat* (so lange er sang); *dum cecinit*, ubi temporis spatium quasi cogitatione circumscriptum tenetur (so lange oder während er gesungen hat): denique, id quod hoc loco legitur, *dum caneret* (wenn er einmal oder wenn er gerade sang): cui coniunctivo ea vis est, ut res a sensu tota ad mentem et cogitationem revocetur. — *trepidis rebus*,

velut apud Horatium (III. C. 2, 5.): vitamque sub divo et trepidis agat in rebus: ubi vid. annot. Mitscherlichii. In versu vigesimo et altero scriptura variat: in multis enim iisque bonis libris legitur *a*, in aliis non deterioribus *e*: alterum est von den Tempeln her: alterum aus den Tempeln: atque in intimis locis seu penetralibus responsa dabantur; inde apparet, utrum potius sit (conf. Huschk. ad h. l.). *Duces* sunt principes, qui antiquis temporibus oracula adibant: *turba* comites officii caussa iis additi. Sophocl. Oed. Tyr. v. 7514. πότερον ἐχάρει βασιὸς ἢ πολλοὺς ἔχων ἀνδρας λοχίτας οἱ ἀνήρ ἀρχηγέτης Liv. 42, 15. ubi de Eumene oraculum consulente narrat, primo a mari, inquit, circumfusa turba amicorum ac satellitum procedebat cet. — v. 25. *Crinesque solutos* conf. Hor. III. C. 4, 12. *Coma*, quae est huius vocis significatio, apte opponitur capiti inornato solutisque crinibus. — v. 30. Alibi *militant* Veneri (vid. Hor. III. C. 26, 2. Ovid. Amor. I. 9, 1.), cuius imperia quamvis plerumque mollia sint, saepe tamen non iniuria *dura* vel *saeva* vocantur. Hoc loco, ut acute vidit Dissenius, poeta *servire* scripsit, quia Apollo tum in servitute erat. — v. 31. Nemo infitias eat, repetitum est insuave esse, praesertim cum ita collocatum sit, ut et tertii pedis caesuram et ultimi pedis thesin teneat (vide Grupp. l. l. p. 81.): atque a paucis libris abest. Obtemperandum tamen cum codicum auctoritati tum Dissenii praecepto haud inani (vide eius annotat. ad I. 1, 34.). — v. 33. *At tu quisquis is es, cui tristi fronte Cupido Imperitat, nostra sint tua castra domo.* Verba *tristi fronte Cupido imperitat* opposita sunt iis, quae paullo supra leguntur: *sed cui sua cura puella est*: hic enim amat et amatur: ille mutuo amore caret. Numeris versus hexametri aures fastidiosiores non admodum delectentur: respuant etiam ista *quisquis is es*: ac profecto nemo haec mihi pro tersis et expolitis venditet: at pro deploratis non habeo. Varia scriptura est haecce. In paucis libris est *tristi cui*: quae scriptura numeris quidem nihil prodest (conf. Huschk. ad h. l.), sed cum in adiectivo *tristi* caput sit rerum inter se oppositarum, facile illa videatur potior esse. Verum vox *tristi* sedem suam obtineat, necesse est. Verba enim *quisquis is es* adiuncta et quasi per parenthesin posita sunt. Deinde *imperitat* est incerti auctoris: in libris plerisque reperitur *imperat ut*: in paucis *imperat in*. Verba *At tu, quisquis es* aliis quoque poetis usurpata (conf. Burmann. ad Ovid. Metam. I. 679.) nihil habent offensionis: requiritur tamen, quod ex pronomine *tu* aptum sit. Si legitur *imperat ut*, manifestum est, nonnulla excidisse, in quibus verbum, quod iungeretur cum pronomine *tu*. At haec ipsa coniunctio *ut* commode expediri nequit (vid. Dissen. ad h. l.). Sin *imperitat* legitur, sententia integra est, praeterquam quod voces *at tu* non habent, quo referantur. Itaque Dissenius et hac offensus constructione, qualis nusquam apud Tibullum reperiretur, et miratus, quod castris illis, in quibus esset Veneris militia discenda, nihil laudis esset additum, lacunam esse statuit totumque locum talem iudicavit, ex quo intelligeretur, manum extremam huic carmini non accessisse. De qua re ei consentit Gruppius l. l. p. 95 sqq. Disputaturus de toto hoc genere in ultima harum annotationum particula hic breviter, quid ego sentiam, dicam. Non limatum hoc carmen atque expolatum esse, quisque facile concedat: sed castrorum illorum descriptionem equidem non admodum desidero. Quod interiecto hoc disticho poeta a praedicatione eorum

temporum, quibus ne deos quidem pudisset Veneri palam servire, orationem transtulit ad detestationem ferreae aetatis, qua homines avaritia ducti arma hostibus inferre quam Veneri militare mallerent, id non vituperandum mihi videtur. Totum illud distichon peperit dolor, quo animus poetae cruciabatur. Itaque qui saevitiam Cupidinis experti cognovissent, ad se venire iubet eosque docet, quid molestiarum ex mutatis amantium moribus manarit. Emendationis tamen copiam facit scriptura *Imperat in nostra*. Fortasse enim legendum: *At tu, quisquis is es, cui tristi fronte Cupido Imperat, i: nostra sint tua castra domo. i sonat veni*, ut apud Graecos saepe ἐρχου. nec raro apud Latinos poetas *ire pro venire* positum est: vid. Forbig. et Thil. ad Virgil. Aen. II. 375. Veni, inquit poeta, ad me: in mea domo castra tua sint, in quibus discas, quemadmodum iniquae Veneri militandum sit. Post hoc distichon ea, quae paullo infra sequuntur, *Nota loquor*, ponenda mihi videntur. Subitus, inquires, hic transitus est: non negem: sed in tali, quale hoc carmen diximus esse, noli omnia ad unguem perfecta esse. — v. 36. *praeda tamen multis est operata malis*. mire dictum est. nec quidquam ad hunc locum illustrandum ea faciunt, quae viri docti ad Eumenii orat. pro instit. schol. c. 4. congesserunt. Nihil tamen mutandum puto. Fridericus quidem Jacob ad Lucil. Aetn. v. 353. scribi iubet *onerata*. At neque *adoperta*, quae est varia scriptura, neque *comitata*, etsi passiva vi non infrequens est, probari potest. Sententia enim postulat, ut haec mala nascantur praeda i. e. praedae studio. — v. 38. *hinc cruor, hinc caedes*. Pro *cruor* in nonnullis libris est *furor*, in aliis *amor*, quod Heynio potestatem fecit coniiciendi *Hinc amor, heu, caedis*. Verum vulgatam satis iam muniit Oudendorpius. Hom. II. XI. 163.: ἐκ τ' ἀνδροκτασίης ἐκ δ' αἵματος. recte: nam caede virorum sanguis profunditur. at non minus apte dicitur *cruor caedesque*, quorum alterum *vulnera* spectat, alterum *necem*. — *mors propior* Horat. C. I. 3, 32.: semotique prius tarda necessitas Leti corripuit gradum. conf. supra I. 10, 4. — v. 39. *vago ponto*. Epitheton immensitatem alvei, intra quem haec moles aquarum fluctuat, egregie declarat. Etenim fluviorum lapsus angustioribus riparum intervallis coerciti sunt, maris contra fluctus propter magnam litorum distantiam quasi errare ac vagari videntur. Inde apud Ovidium Met. VIII. 595.: o proxima caelo regna vagae sortite tridentifer undae. Luc. Phars. V. 613. sonat Ionio vagus Hadria ponto. *dubias* autem rates vocat, quia confidere iis non licet, quippe quae iactatae facile evertantur: quapropter eadem instabiles dicuntur. Simili modo Ovid. epist. ex Pont. IV. 3, 32. fortunam dicit summum *dubio sub pede* semper habere orbem. — v. 42. *Ut multa innumera iugera pascat ove*. in aliis libris legitur *multa iugera*, in aliis *multo iugere*, in plerisque *innumera ove*, in perpaucis *innumeram ovem* aut *innumeras oves*. Lachmannus auctoritatem codicum secutus est, nuper tamen, ut Gruppius quidem testatur, pro *pascat* emendavit *carpat*. Vossius de excerpt. Pocchi dedit: *ut mille innumera iugera pascat ove*, immemor, quam male numerus finitus mille infinito iugerum conveniat. Heynius, Huschkius ac Dissenius reposuerunt: *ut multo innumeram iugere pascat ovem*. Usus singularis numeri verborum *multo iugere* et *innumeram ovem* illustrarunt Dissen. (ad I. 3, 28.) et Huschkius. Illud quoque certum est, *iugere* posse defendi, cum veteres dixerint *iugeribus*. Apud Ciceronem in Verr. I. III. 47, 42.

Zumptius quidem *iugero* restituit, idque iure: sed iccirco non continuo reiiciendum erit *iugere*. Praeterea Dissenius alteram scripturam aggreditur et ab insolentia locutionis *iugera ove pascere* et a sententiae perversitate, coemi enim a praedatore pascua, non ut a gregibus depascantur, sed ut ali et haberi possint quam plurimae oves. Heynius alteram scripturam, cuius numeri ipsi auribus ingrati essent, errore librariorum satam opinatur: sed idem sensit, posse illud videri exquisitius dictum. Equidem fateor scripturam *multo innumeram iugera pascat ovem*, non uno nomine commendari: sed cum infra 5, 25. *vaccae pascant herbosa palatia* i. e. *depascant*: id quidem concedi debet, non dissimilem esse locutionem *iugera ove pascere* i. e. abweiden lassen: velut apud Horatium (Serm. I. 5, 79.) *doceat* positum est pro *docendos curet*. Abhorrent sane haec et alia huiusmodi a consuetudine loquendi et vulgari sermone, poeticam tamen elocutionem non dedecent. quid vero? si quis diceret: er wünscht unermessliche Weideplätze zu besitzen, um sie durch seine unzähligen Heerden abzuweiden, nonne intelligeremus, ad innumeros greges alendos tantum pascuorum eum velle possidere. Quod si ita est, Disseniana certe ratio non ea est, quae scripturam plurium librorum consensu firmatam subvertat. Quid, quod haec ipsa locutionis insolentia aptissima est ad declarandam indignationem, quam insatiabilis avaritia huius praedatoris movet: simili modo nobis dicere licet: der zehrt uns mit seinen vielen Pferden noch den letzten Haber auf. — v. 43. *Cui lapis externus curae est urbisque tumultus Portatur validis mille columna iugis*. *Cui*, ut saepe *de*, valet *er*, *dem*. dicit autem praedatorem. *lapis externus* est columna marmorea (confer. Horat. II. 18, 3 sq.), quae per urbem vecta dicitur *tumultus urbis*: vide Tacit. Annal. I. 75. ibique annotat. Ernesti. et Plin. Panegy. C. 51. — *mille iugis*. scriptura *multa columna* per se bona ac proba, quoniam paullo supra legitur *multa iugera*, alteri cedat necesse est. Senec. ep. 90.: nec in hunc usum, inquit, pinus aut abies deferebatur *longo vehiculatorum ordine* cet. Quod est in quibusdam libris *urbique*, etsi non raro dativus pro genitivo ponitur, tamen cum proxime positum sit *cui*, non magis placet, quam scriptura *tumultu*, qui ablativus defendi quidem potest, sed multo minus viget, quam nominativus. Est autem *tumultus* docte dictum pro *caussa tumultus*: valet fere die Ruhestörung der Stadt. audito nimirum fragore cum vici quaterentur, par erat, cives metuisse, ne domus vicis imminentes collaberentur. Ceterum *cui* et ex verbis *curae est* et ex verbo *portatur* aptum habet aliquid offensionis (conf. Tac. Hist. I. 37. extr.), quam facile summo veris, si *curae est* vi verbi passivi explicaris. — v. 46. *Negligat piscis adesse*. Horat. I. C. 28, 30.: *negligis* — fraudem committere? Significat autem *negligere* prope idem, quod *contemnere* (sich nicht darum kümmern) velut Horat. Epod. 4, 15. — v. 47 sq. *At tibi laeta trahant Samiae convivia testae* cet. Res hoc disticho commemoratas viri docti satis illustrarunt. Sed cum in Excerptis Scaligeri scriptum sit *at mihi*, utrum legendum sit, disceptatur. Broukhusius et Vulpus rati eum intelligi, quem in suis castris poeta militare iussisset, *tibi* legerunt. Heynius puellam dici existimavit: cui assensus Dissenius, Tibullus, inquit, se simulat credere, Nemesim istam luxuriam aversari: mox tamen sentit, longe secus esse. Iusto brevior in hac re poetam fuisse, ipse Dissenius non diffitetur. Ac profecto si

huius loci brevitatis cum proxime superioris copia comparetur, non potest non videri nimia. Tantum quod poeta continentiam puellae spe et animo haustam vilitate vasorum quorundam significaverat, cum ad increpandam puellae avaritiam et perfidiam adsiluit. Qua re commotus Huschkii etsi retinet scripturam *At tibi*, propensior tamen est ad tuendam alteram *At mihi*. Sic enim et praedatoris opulentiae paupertatem ait Tibulli opponi et quam molestiam eadem illa verba *At tibi* paullo infra (v. 61.) repetita afferrent, eam omnem depelli. Ergo de Huschkii opinione sententia totius loci haec foret: at ego pauper et paucis contentus sum: verum quoniam video, puellam meam avaram esse, ego quoque quamvis invitus ad capessendam praedam me accingam, non ut mihi divitias comparem, sed ut habeam, quibus opibus puellae aviditatem expleam. Haec et ad ea, quae supra de praedatore dicta sunt, apte composita esse et inter se optime cohaerere, negari nequit. Nec moror coniunctivum *trahant*: quidni enim commode dicatur: wie gerne brächte ich ohne allen Prunk meine Tage zu: sed intelligi poeta vult, sibi id non permitti, quippe cum puella divitiis inhiat. Simili modo apud Horatium L. I. 31, 15. *me pascant* explicari potest »es mögen mich ernähren« — dummodo videlicet tu frui paratis et valido mihi dones et integra cum mente cet.: aptior tamen est indicativus *pascunt*, quo posito intelligis Horatium de vitae cultusque consuetudine loqui. Idem dici potest de hoc loco, in quo interpretando versamur. Nec, si ea quidem, quam supra explicavimus, his verbis subest sententia, dubium est, quin praeferendus sit indicativus. Verum enim vero si totius loci compositionem diligentius consideraveris, facile videbis, hoc loco omnino non id agi, ut Tibulli paupertas cum luxuria divitis illius hominis comparetur, sed aliam esse causam, cur poeta paupertatis suae mentionem fecerit. Atque ad hoc unum summa totius loci referenda est. Optat nimirum Tibullus, id vitae genus puellae placere. Inde apparet, et quamobrem coniunctivus positus sit et quam prudenter sit epitheton *laeta* additum. Hac enim laetitia, qua ipsius paupertas abundaret, luxuries illius hominis careret, animum puellae alligere tentavit. Ad quae verba quis non meminerit loci illius Horatiani (C. III. 1, 19.): *destrictus ensis cui super impia cervice pendet, non Sicalae dapes dulcem elaborabunt saporem cet.* Offendit sane, quod poeta Nemesim, quam nondum nominavit, pronomine secundae personae alloquitur quodque iisdem verbis paullo infra praedatorem compellat. Illud Dissenius alio loco huius haud dissimili (I. 8, 27, 69.) defendit vel potius excusavit: hoc nullo pacto defendi vel excusari potest: nec necesse erit, si semel nobis erit persuasum, hoc carmen aut a poeta non esse eliminatum aut temporum iniquitate corruptum. V. 59 sq. Hoc distichon, ut supra dixi, arbitror ponendum post versum tricesimum quartum: quod postea cognovi etiam Gruppio (l. l. p. 99.) placuisse. Tum vero sententiae hac ratione inter se nexae colligataeque forent: postquam poeta fassus est, sibi quoque tristi fronte Cupidinem imperare, convocatis, quibus idem evenisset, in suam domum tanquam in castra, in quibus molestias militiae Veneri dicatae percipere possent, *Nota*, inquit, *loquor* i. e. cognita et experta (Allbekanntes). Prop. III. 13, 6.: *Certa loquor, sed nulla fides.* Tum addit: *regnum ipse tenet, quem saepe coegit Barbara gypsatos ferre catasta pedes.* Manifestum est, opposita esse *regnum* et

signa *servitutis*. Atque ipse i. e. *gerade der* est haud dubie rivalis Tibulli. Verum etsi is utique his verbis denotatur, id tamen in omnes eiusdem generis homines quin dictum sit, non dubito. Itaque hanc puto subesse sententiam: hodie vel deterrimus quisque et sordidissimo loco natus, dummodo dives sit, plurimum apud puellas valet. His dictis poeta monet, quot mala ex avaritia sive praedae studio fluxerint eaque breviter recenset. Tum vero indignabundus: at quid tandem, inquit, ut assequantur, isti praedatores tot vitae pericula ac rerum discrimina subeunt? Ut scilicet latifundia possideant, magnifice aedificent, piscinas habeant, suas denique insanas cupiditates expleant. Quis non videt, quam apte haec quamque sapienter cum iis, quae sequuntur, composita sint? Etenim postquam poeta non sine laetitiae commendatione, qua puellae animum alliceret, suam illis opibus paupertatem comparavit, iam deposita omni simulatione fassus sese cognosse, plus apud puellam hominis istius divitias, quam suarum fortunarum mediocritatem valere, se quoque dicit praedandi causa militaturum, non ut ipse locupletetur, sed ut puellae instrumenta luxuriae possit suppeditare. Quae quam sint ad commovendum puellae animum accommodata, nemo erit, quin sentiat. Dum ipse sese omnia facturum esse pollicetur solo amore erga puellam ductum, praedatorem avaritiae tantummodo et luxuriae suae inservire affirmat. Veruntamen Tibullus se divitem esse optat, ille rivalis dives est: inde novae irae; quibus accensus poeta et hominem istum omnibus precibus (conf. Valer. Cat. diras vv. 8 sqq.) detestatur et ruri ipsi agrorumque copiis succenset, quippe quibus factum sit, ut Nemesis sibi abduceretur. Vilem igitur priscorum hominum victum cultumque, dummodo consuetudine puellae frui ipsi liceat, omni lautitiae isti anteposit; quin, hoc ut assequatur, ne durissimam quidem servitutem servire recusat. Hoc modo haec mihi quidem inter se videntur cohaerere (at conf. Grupp. l. l. p. 99.). — v. 61. *At tibi dura seges, Nemesim qui abducis ab urbe, Persolvat nulla semina certa fide.* Sic dedit Lachmannus. Pro qui in aliis libris reperitur quae et ita inde ab Aldo divulgatum ait Lachmannus: pro *abducis* legitur in codic. Parisin. *abducit: certa* Puccii est, in aliis iisque bonis libris legitur *terra*. Memorabilis denique coniectura est Heinsii *Ceres*. Hac igitur emendatione ascita variaeque scripturae delectu habito Heynius et Dissenius haecce concinnaverunt: *At tibi, dura Ceres, Nemesim quae adducis ab urbe Persolvat nulla semina terra fide*: quibus consentit Huschkus, nisi quod *Nemesim* scripsit. Agitedum ea diligentius consideremus. *Segetem* saepe pro agro, qui conseri possit, positum esse nemo ignorat. conf. Voss. ad Virg. Georg. IV. 1, 29.: nec pecori opportuna seges nec commoda Baccho. vid. supra I. 9, 35. *Dura* igitur seges foret *durum arvum*: quod si proprie dictum est, quid sonet, intelligitur. Atque Vulpus epitheton *dura* putat propterea delectum, ut esset, quod opponeretur *tenero Baccho*: de qua re Dissenius (vid. eius annot. ad h. l.) valde dissentit. Vulgata scriptura *terra* cum verbis *dura seges* conciliari nequit; quid enim istuc, *dura seges persolvat nulla semina terra fide*? Quod cum esset manifestum, Heinsius emendavit *Ceres*: atqui necessario hanc deam commemorandam fuisse, Dissenius et Gruppius censuerunt; subsequi enim nomen Bacchi, cum quo Ceres componeretur. *Duram* autem Dissenius existimat

deam appellari, quia in abducenda puella operam praestiterit: nam in ipsos deos huius facinoris auctores et adiutores poetam, non in praedatorem invehi. Haec ille. At si Ceres propterea, quod amatori illi in abducenda Nemesi operam navarit, *dura* appelletur, miror, Bacchum, qui si non in maiori, certe in eodem crimine esset, non eodem aut simili epitheto notatum esse? Atqui tantum abest, ut poeta ei maledicat, ut inventutem eius praedicet. Religione, credo, tactus poeta cavit, ne Bacchum, deum poetis amicum, laederet. Sed id mitto: est aliud, quod mirationem faciat. Saepe quidem poetae immodicos animi dolores ita depingunt, ut homines maxima in ipsos deos probra coniciunt faciant, velut IV. 4, 14.: dicit in aeternos aspera verba deos. conf. II. 6, 18. III. 5, 14. Quae temeritas vel potius dementia etiamsi ab hominum superstitiosorum, quales veteres erant, ingenio et moribus non aliena est: inepte tamen loqui homines ne sic quidem affectos decet. Quid est autem ineptius, quam punitos velle deos (vid. Dissen. ad h. l.): quae enim ista poena? Num Ceres et Bacchus malo frugum fructuumque proventu plecti poterant? Immo vero omnia incommoda ad aratorem pertinebant: is ex frugum copia aut inopia coniciebat, num di sibi propitii an aversi essent. Penes Cererem et Bacchum annus erat (conf. Hom. Hymn. C. 30, 5 sqq. Callimach. Hymn. in Cerer. vv. 136 sqq. Ovid. Met. V. 477. Horat. C. S. vv. 30 sqq.). Etiam infra poeta precatur, ut Bacchus lacus hominis illius sibi invisus relinquat. Itaque di relinquunt vel deserunt tecta, arva, vineta, alia huiusmodi; iidem laetantur felici munerum suorum ubertate: dolent, si ipsorum quasi regna insigni aliqua calamitate affliguntur: sed ipsos deos his casibus puniri vel mulctari, num veteres unquam opinati fuerint, dubito. Verum fortasse nimis urgeo; quod *puniri* dixerunt interpretes illi, *dolere* valet. Ergo poetam volunt devovisse agros rivalis et vineta, ut Ceres et Bacchus ipsi amisso omni proventu dolerent. Video. Sed quid verbis fiat *devotos*, *Bacche*, *relinque lacus*: nonne dicendum erat: *te* Bacche relinquant lacus seu destituant, ut supra dictum est *At tibi, dura Ceres, persolvat cet.* Noli autem putare, *relinque* hoc loco dictum esse, ut apud Virgil. Georg. IV. 326.: En etiam hunc ipsum vitae mortalis honorem te matre relinquo. Quae cum ita sint, equidem consentio, haec in amatorem puellae dicta esse. Idem sentit Gruppius (l. l.). Nec dubium est, quin ita hic locus explicandus sit: ut enim sibi poeta largam praedam obtingere, ita rivalem omnibus incommodis affici vult. Quod vero scribitur *abducis*, id mihi neque in *Cererem* neque in *amatorem* quadrare videtur: erat enim *abducta* puella neque *abducit* valet *abduxit* aut *relinet*. acerba autem foret irrisio, si dictum esset: *segetem fuisse, quae puellam abduceret* i. e. puellam non amatorem, sed eius divitias secutam esse. Et erat iste amator dignus tali puella, ista puella digna tali amatore. Quam autem hoc sive facete sive acerbe dictum iis conveniat, quae leguntur I. 9, 49. et in hoc carmine paullo supra (v. 35.), manifestum est: quadeccaussa non dubitem legere: *At tibi dura seges, Nemesim quae abduxit ab urbe, Persolvat nulla semina certa fide.* Verba *seges nulla fide semina persolvat* plana sunt. conf. Horat. Epist. I. 7, 87.: *spem mentita seges sed egregie certa et nulla fide* inter se comparata sunt, ut vis et effectus execrationis cernatur. Quod sequitur *Et tu, Bacche tener*, cum modo eodem pronomine

dives ille amator compellatus sit, valde displicet (conf. etiam Grupp. l. l.): causam vero, cur nomen Bacchi repetitum sit, facile perspicias. Est enim Bacchus laetitiae auctor, qui ubi adest, ut Goethius dicit, Venus illico subsequitur. — v. 65. *tristibus agris. tristes* hoc loco explicare licet wo man versauert: opponitur agrorum tristitia luci urbis: stomachanti scilicet poetae tristes agri videntur et dicuntur, qui iidem, si ei copia esset visendae puellae, laeti ac grati forent. — v. 75. Quae hexametri sententia fuerit, ex pentametro intelligitur: verba Tibulli nemo coniectura assequatur: opiniones virorum doctorum recensuit Huschkius ad h. l. Idem Scaligeri coniecturam *copia nulla videndi* rationibus sat idoneis refutavit. sed res est manifesta: quoniam poeta cum puella esse non poterat, videndi eam sibi interdum fieri potestatem cupit ac propterea animo ad tolerandum servitium prompto ac parato se duci iubet. —

Corrigenda. Pag. V l. 9 pro *tu lege tua.* Pag. XXI infr. l. 6 pro *potest lege potest.*